UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Homilia XIV. De Obedientia Cathedræ Et Prælatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

*Prælati, poteſtate tamen pollent ad tractanda cœleſtia: quibus & obediendum.*

§.16 *Honorari debet Prælatus, licet malus; iniuriam illi factam Deus ſibi cenſet irrogari, ſicut capitis iniuria eſt quæ capillis irrogatur.*

§.17 *Quàm fuerit Samſoni pernicioſum, capillos ſibi tonderi, in quibus eius conſiſtebat fortitudo. Idem iudica de Eccleſia, dum eius ſacerdotes & Prælati tanguntur.*

§.18. *Poteſtatem habent Prælati abſoluendi, leges condendi, excommunicandi; proinde ex æquo iure illis obtemperandum.*

§.19. *Plurimum licet referat Prædicatoris, Prælatiq́; bonitas: porrò ſi malus ſit, quid dicat, non quid faciat, attendendum.*

§.20. *Phylacteria ac fimbrias in propriam ordinabant gloriam, quæ ad Dei erant honorem inſtituta, ac virtutum inſtrumenta.*

# HOMILIA XIV.

## DE OBEDIENTIA CATHEDRÆ ET PRÆLATIS.

### Secundo die Martis Quadrageſimæ.

*Tunc locutus eſt Ieſus ad turbas & ad diſcipulos, dicens: Super cathedram Moyſi* &c. Matth. 28.

☞ 1 COELESTE nobis hodie propoponit Chriſtus documentum per hiſtoriographum ſuum D. Matthæum; multum conueniens auctoritati Prælatorum ac prædicatorum, multùm auditoribus vtile, multùm denique honorificum ſacratæ ſuæ legi, diuinæque doctrinæ: tanti autem refert hæc admonitio, vt D. Chryſoſt. eam cenſeat, eſſe omnium, quas Chriſtus nos docuit, vtiliſſimam: *Præceptum tradere voluit, quod præcipuè ad ſalutem conducit.* Et vt tale cæteris ſtrictius præcipit obſeruari. *Id ſummopere iubet.* Mandauit autem ſummo affectu, ac rigore. Declarat igitur, quòd nequaquam, quia ſuperior aut prædicator vitæ eſt diſſolutæ, ea de cauſa illi detrahenda ſit negandaque debita reuerentia, nec eius quoque doctrinæ refragandum; non eſſe eius doctrinam operibus menſurandam, nec dicta factis comparanda. Hoc tibi iubet ſ faciendum, quæ præcipit audire, vt ea opere perficias & eius non inſpicere vitæ opera, vt illum aſperneris: aures arrige eius doctrinæ ſalutari, oculos occlude eius vitæ immodeſtæ: *Super Cathedram Moyſi* (ait Chriſtus) *ſederunt Scribæ & Phariſæi:* q. d. Ipſi ſunt, qui modo pollent auctoritate, ac loco ſuperiori, prælati ſunt, ac magiſtri veſtri: quæ vobis dicunt, facite, quando vobis præcipiunt, ſecundum id, quod cathedra eorum docet, nec eorum opera inquiratis curioſiùs. Appetunt mandata grauia hominibus ac ardua imponere, ad conſuetudinis veteris in populo reformationem, vt ſint omnes perfecti, ea verò in ſe exequi, etiam minima, detrectant: hic omnis eorum conatus, vt vanam ex hominibus gloriam aucupentur, dignitate ſua ſuperbiant, magnificent fimbrias, phylacteria dilatantes. Erant autem fimbriæ faſciolæ quædam cœruleæ, de quibus oras, ſeu extremitates ſuis penulis faciebant; quibus pedes ſuos cooperiebant, quo ſignificabant ſe tales eſſe, qui licet corpore in terra ambularent, animâ tamen ſidera penetrarent.

D.Chry. Hom.74. in Matth. T.2.

Phylacteria verò erant membranæ, quibus Dei lex inſcribebatur, nempe decalogus, has de ſuis pileis ſuſpendebant, ita vt ante oculos volitarent, quibus ſemper & vnicè legi diuinæ attenti intentique inhærebant. Hæc inſignia magnificabant, id eſt, extendebant: vt illo modo ab hominibus pluris haberentur, maiorique honore colerentur, & quocumque accederent, cunctis ſedentes



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dentes adueuientibus aſſurgerent, locum cederent eminentiorem, ac Magiſtri noſtri vocarentur, illos meritis & virtutum inſigniis ceteris æſtimarent digniores, cum eſſent omnium, quos ſol vidit, nequiſſimi. Nihilominus (ait Chriſtus) prælati ſunt, prædicatores ſunt, Magiſtri ſunt, qui Moyſi, imo Dei ipſius locum obtinent, & vt tales illos reuerere, illorumque præceptis obedi. Ratione huius prælegit nobis alia de obedientia documenta, & regulas de humilitate, Deum colendum eſſe vt vnicum patrem, ac magiſtrum in cœlis, cuius vicarij ſunt, & ſubſtituti terreni præceptores, noſtrum ſit hoc præcipuum ſtudium, in terra nos humiliare, vt in cœlis exaltemur: hanc enim ipſe in ſua obſeruat familia ordinationem, ſuperbos humiliare, & humiles exaltare. Vt hinc igitur exordiamur, proni nos coram Domino humiliemus; ſupplicemus, mentem noſtram erigat ſuæ gratiæ ſpiritu, & Principi ſuper omnes Angelorum choros exaltatæ, vt eam nobis obtineat, proſtrati offeramus: *Aue Maria.*

### §. 1. *Aperiens Chriſtus ciſternam, præcauet, ne quis in illam incidat, & ſpinas comburens, ſeruat triticum ſecundum legem.*

☞ 2 Diuus Cyrillus Alexand. gloria, decuſque montis Carmeli, tam antiquus, vt floruerit Anno Chriſti 330. tot omnibus notiſſimis clarus prærogatiuis, vt D. Pontifex Cœleſtinus primus, eum miſerit præſidem Concilio generali Epheſino, ducentorum Epiſcoporum, contra hæreticos Neſtorium & Pelagium, multos edidit tractatus in S. Scripturam, ſed phraſi ingenioque ſingulari libros ſcripſit ſeptemdecim, quos prænotauit: *De adoratione in ſpiritu & veritate:* Quibus totam illam veterem legem exponit,
Li. 7. adſtu. educitque de corpore illo ſpiritum, de littera ſaporem, de figuris veritatem, enucleat duo Dei
Exod. 21. 33. præcepta data Moyſi, vnum Exo. ca. 21. Vocauit Dominus Moyſen dixitque illi: Audi quæ ego præcipio tibi: *Si quis aperüerit ciſternam & foderit, & non operüerit eam, cecideritque bos aut aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium iumentorum, quod autem mortuum eſt ipſius erit.*
Exod. 22. 6. Alterum legitur: ca. 22. *Si egreſſus ignis inuenerit ſpinas, & comprehenderit aceruos frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit;* Ea ergo cautione ſpinas comburat, vt ſegetes ſeruet incolumes. Quæ eſt hæc tua, Domine ſollicitudo, quærit D. Cyrill. Quis te ad rerum tam vilium ac familiarium detraxit ſollicitudinem? Indicauit, (inquit Sanctus) quid tibi ſit agendum, & quid Chriſtus egerit, qui ad hoc venit in mundum, vt legem adimpleret. Quaſdam aperuerat ciſternas; cum vicinus eſſet morti, aperte voluit illis loqui hypocritis, eorumque interiora aperuit pectora, ea eſſe oſtendit ſepulchra dealbata; à foris nulla formoſiora, ab intus verò nulla turpiora, plena mortuorum oſſibus, ſcatentia vermibus, pœdore horrida; hypocriſes reuelauit, aſtutias vulpinas, fictiones, fraudes, enormia ſcelera, criminaque non toleranda, his ignem ſpinis ſuccendit, aſpera, duraque reprehenſione, vt fecit in illa ſua concione, quam habuit in populi totius ſynagoga, in qua vitia, fraudeſque detexit hypocritarum Phariſæorum. O Domine, hancne ciſternam aperis? Caue ne ſit ad ſcandalum puſillorum, qui vt eos cognouerint tantorum criminum reos, eoſdem vilipendent, cum eis non conuenient, debitam recuſabunt reuerentiam, præcepta non adimplebunt inobedientes. Accurrit Dominus, qui ciſternam operiat, damnumque futurum impediat, dum conuerſus ad populum ait: *Super cathedram Moyſi.* q. d. an animaduertis, quales hi ſint, ex eo quod de illis reuelaui? Hoc perpendite, quòd in cathedra ſedeant Moyſi, ſint ſuperiores, ſint in Eccleſia præſides ac doctores, proinde vt talibus, debitum deferte illis honorem, eorumque obedite iuſſionibus: licet enim grauiorum velim ſpinas exurere peccatorum, quæ de eorum cordibus enaſcuntur: volo nihilominus amplius ſeruari triticum doctrinæ ac legis indemne, dignitatem, magiſterium, ac ſacerdotium inoffenſum, proinde vt tales omni colantur reuerentia, eorumque leges obſeruentur.

Impleuit hic Chriſtus, ex ſententia D. Hieron. quod prædixerat Spiritus S. ex ore Malachiæ à Chriſto faciendum. *Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui.* Per filios Leui, (interprete D. Hieron.) veniunt Sacerdotes, Prælati & Doctores Iudæorum. Hoc verbum *Purgabit*, in Hebræo, proprium eſt agricolis, qui purgant aream quando in ea mixtum iacet paleæ triticum, ac ventilabro ſegregant paleam, ſeruantque triticum. Hoc Meſſias exequetur, & talis à D. Matth. deſcribitur: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* ventilabro linguæ ſuæ diuinæ triticum à palea ſeparabit. En eum purgantem. Inue-

*Tot. 3. Mala.* *Mala. 3. 15.* *Matth. 3. 12.*

rit in Phariſæis triticum permixtum paleæ. O quæ paleæ hypocriſeos, vanæ gloriæ, fraudis, ambitionis! O quale triticum doctrinæ, dignitatis, verbi Dei! hoc enim tritico Eccleſia ſuſtentatur. Apage, palea in ignem æternæ condemnationis; eorum opera ne imitemini, paleæ enim ſunt, quas ignis comburet infernalis: remaneat legis, doctrinæ, dignitatis frumentum in animæ tuæ horrea congregandum: ſi enim eorum vita reproba, doctrina tamen proba, & admittenda. Si eorum opera, opera ſunt Satanæ, leges attamen ſunt diuinæ; ſi in ſe ipſi ſunt dæmones, in perſona tamen quam referunt, ſunt
Malachi Angeli, ex quorum ore lex audienda: *Legem*
cap. 2. 7. *requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exer-*
Hom. 74. *cituum eſt*. Omninò neceſſaria nobis erat hæc
in Matth. inſtructio (teſte D. Chryſoſt.) nobiſque tam ſtrictè à Christo præcipienda: ſi etenim etiam modo contemnis ſuperiores, eorumque mandata floccipendis: quia ſic non viuunt, vt debent, quid ageres, ſi tibi eos irridendi, contemnendique dediſſet ipſe facultatem? quàm paucos inuenias, qui eorum voluiſſent obedire mandatis? Quibus non ſuperioribus contumaces repugnarent inferiores? Vt igitur hoc nequaquam fiat, tam ſtricto nos Chriſtus obligat præcepto, quod modò declaramus.

§. 2. **Super Cathedram.** ***Licet omnes nos creauerit Deus quoad naturam æquales, diſpoſuit tamen ſuperiorum, & inferiorum inæqualitatem.***

☞ 3 SVpponit hic Chriſtus primum eſſe in Republica ordinem ſuperiorum, & inferiorum, ac requiri, vt ſit qui jubeant, qui ordinent, qui ſtatuant, & qui dictis obediant, ſtatutaque perficiant. D. Theodoretus Epiſcopus Cyri in Syria (qui à ſexcentis Epiſcopis in Concilio Cal-
Serm. 7. cedonenſi proclamatus fuit: *Catholicus & Or-*
de Proui- *thodoxus Eccleſia Paſtor & Doctor.*) contendit
dentia, refutare quemdam errorem à Gentilibus introductum: qui conſiderantes magnas confuſiones, deordinationes ac ineptias, quibus totus mundus perturbatur, euulgàrunt, Deum nullum mundi huius habere prouidentiam, ac ſollicitudinem, nec eum gubernare, ac dirigere, ſed quòd nos dimiſerit, vt quiſque quidquid vellet aut poſſet operaretur. Quia verò hunc errorem decem adſtruebant argumentis, decem quoque conſcripſit tractatus ſubtiliſſimos, in quibus eadem in illos retorquet argumenta, ac proprio mucrone confodit inimicos: ex eorum rationibus Catholicam probans veritatem, Deum eſſe ſupremum mundi gubernatorem, quique, quæ in eo fiunt, cuncta diſponit, infinitâ ſuâ ſapientiâ cuncta conſtituens, & magnâ permittens prouidentiâ. Tractatu verò ſeptimo, ſeptimam proponit, refutatque rationem, quâ Gentiles mouebantur, vt Dei prouidentiam mundique negarent directionem: nitebatur autem hæc ratio illo diſcrimine quòd in mundo notamus inter homines: quidam etenim ſunt Domini, ſerui alij: quidam ſuperiores, inferiores alij: quidam præcipientes, alij obſequentes. Quis hos inter ſe diſcreuit? Nos omnes Dominus quoad naturam condidit æquales, vno omnes naſcimur modo, vno & morimur, cur non eodem igitur modo viuimus? Nos omnes ex eodem produxit parente Adam, iiſdem dotatos qualitatibus, ita vt, formato primo homine, cum ei mulierem in adiutorium ad humani generis propagationem vellet creare, illam non ex alio luto, vt eſſet, formauit, ne qua prætenſio oriretur, ſi lutum illud nobilius fuiſſet, quàm illud, de quo formatus fuit Adam; ſed eam ex ipſo Adam ædificauit: ſed nec de capite, quod ceteris membris eminet, nec de pedibus, ceteris inferioribus, ſed de coſta lateris, vt in omnibus ei ſimilis eſſe videretur.

Si igitur nos Deus æquales condiderit, vnde prodire poteſt tanta inæqualitas, vt ſint aliqui Domini, alij ſerui, quidam imperent, puniant, carceribus mancipent, alij verò obediant, in vincula conijciantur, puniantur? Hoc (aſſerebant illi) inde ortum eſt: quia Deus manum à mundi regimine ſubtraxit, ſic vt qui poteſt, præualeat, imperet ceteris, puniatque reliquos. Exemplo patet, inquiunt, in Nemroth Dominus poſt diluuium: vt enim erat gigas fortiſſimus, viribuſque potentiſſimus, ſeipſum Dominum extulit, ceteriſque præfecit ſuperiorem,
vnde natum prouerbium: *Quaſi Nemroth robu-* Gen. 10.
*ſtus venator coram Domino.* Idem obſeruamus in 9.
Monarchiis ac Imperiis, quæ mundus habuit Babyloniorum, Medorum, Perſarum, Græcorum,
Romanorum, quæ vidit Daniel in figura fero- Dan. 7.
cium beſtiarum, quæ enim cæteris erat potentior, præualebat; ac ventorum flantium, qui inter ſe contendebant, ille verò ſe longiùs protendebat qui maiori buccas inflabat impetu; hodie hic eſſet Dominus, at mane craſtino mancipium, hodie throno reſidens regali cunctis imperans ſuperbus, cras catenis vinctus, teterrimo carcere recluſus vile mancipium. Abundant ſimilibus

exem-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

exemplis, tam ſacræ, quàm prophanæ hiſtoriæ: ex quo Deus mundum condidit. Clarius quoque patet, (argumentantur illi) quia ſi ordo ille ſuperiorum ad inferiores à Deo fuiſſet ſtabilitus, ſemper eſſent ſuperiores, qui ſunt meliores, ingenij ſubtilioris, vitæ magis exemplaris: cum Rex Reipublicæ non præficiat, niſi quos nouerit eſſe regimini magis idoneos. Hoc autem non ſic ſe habet, quin imò videmus occupare thronos, portare diademata, illos qui merentur crucem, carceres, ſeruitutem: è contra ſubditos, reiectos, qui ad regendas cathedras ſunt aptiores ac digniores. Qua de cauſa Salomon, licet cuncta cenſeret vanitatem, hoc tamen magis ſeriò perpendit: *Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram.* Cum hæc igitur ita ſint, quis capiat, quòd hunc Deus mundum modis adeò inconcinnis gubernet? Reſpondet illis Theodoret. in illos hanc retorquens rationem, ex eadem probans contrarium. Omnes conſentiunt, quòd Deus cunctos quoad parentes & naturam creauerit æquales, ſi verò illa in ſuo maneret ordine ac ſtatu, quo ex Dei manibus prodijt perfecta nec eſſent Domini, nec ſubditi, vt modo, nec qui nouas conderet leges; diuinis quippe regeremur, & ratione, quæ iuſto pondere cuncta moderaretur. Verumtamen per peccatum diſſolutus eſt hic ordo, ita vt iuſtitia nobis deficiat originalis, quæ in homine, partem inferiorem ſubdebat ſuperiori, ſuperiorem verò Deo; ratio permanſit tenebris obfuſcata, ordo illi priùs poſitus inuerſus, ratio oppreſſa, rebellis appetitus, & ad malum ab adoleſcentia inclinatus. Neceſſarium eſt, vt ſit qui regat, gubernet cuncta, ſecundùm iuſtam diſponat rationem, malos puniat, bonos remuneretur, appetitum refrœnet inordinatum pœnæ timore; excitet ad bonum voluntatem propoſita ſpe retributionis. Componit horologiſta horologium congruum; ſi ſemper illo ordine, & conformitate volueretur, non eſſet neceſſe quemquam illud dirigere: verumtamen cum aliquando diſſoluatur illa harmonia, rectoris requiritur induſtria, qui vt primùm deeſt, ilico totum diſſoluitur, rotis ponderis impetum ac grauitatem conſequentibus. Compoſuit hoc Deus naturæ noſtræ horologium optimè diſpoſitum: *Fecit Deus hominem rectum.* Per peccatum verò, diſſoluebatur illa concupiſcentiæ rota, quæ ductum ſequi debebat rationis vt rotam primariam, ſe ipſam anteponit, vt totum gubernet horologium. Hoc benè ſentiebat, qui dicebat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Quàm diſſolutum foret hoc mundi horologium, ſi non eſſet qui rotas componeret? Quis domi quietus remaneret? Quis bona ſua, imò & vitam tutus poſſideret? Qua ratione ſine legibus Reſpublica conſeruaretur, quibus illa dirigitur, ac ſine ſuperioribus, qui ad eorum obſeruantiam cogant inferiores. Ipſe Deus (inquit Theodoret.) qui mundum condidit ex nihilo, decreuit ad ſui conſeruationem, vt à ſuperioribus regeretur.

Eccleſ. 10. 7.

I. Similitudo.

Eccleſ. 7. 30.

Rom. 7. 23.

II. Dei prouidentia aſſeritur.

Hoc docuit Apoſtolus, ſapientiſſimis illis verbis; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.* Omnes quotquot ſunt: *Omnis anima*, ſuis ſubſint ſuperioribus: mulier marito, filius Patri, Domino ſubditus, ſæcularis Eccleſiaſtico: ita vt, nullus ſit in Republica, qui non hoc ordine, ſuperioris, vel inferioris, Prælati, vel ſubditi comprehendatur, qui non vel præcipiat ſuperior, vel obediat inferior. *Omnis anima.* Si quæras, quis hoc ſtatuerit, vt cum omnes eſſemus in natura æquales, ſimus in hoc inæquales? Reſpondit ipſe Deus. *Non enim eſt poteſtas niſi à Deo.* Nota cum S. Chryſoſt. loquendi modum Apoſtoli: Non enim ait, quòd non ſit ſuperior, aut Princeps, qui regnet in hoc mundo, niſi à Deo conſtitutus; *Non dicit: Omnis Princeps à Deo conſtitutus eſt*; multi quippe ſunt à Deo non ordinati; ſed à diabolo, vel mundo, vel carne, vel lucro, vel negotiationibus, vel diligentiâ, vel ſimonia: ſed quòd omnis poteſtas, hoc eſt, auctoritas qua eminent Principes ac Superiores, vt præcipiant, à Deo profluat, vt licet quis ſit tam peruerſus ſuperior, qualem ſcimus fuiſſe Pilatum, poteſtatem tamen habet deſuper & à Deo: ita Chriſtus Pilato. *Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper:* licet quoque tam ſacrilegus ſit Pontifex, ac Caiphas, Deus erit qui ore eius loquetur, quando concludit vt ſupremus ſuperior. Sicut dicimus, quòd omnibus poteſtas mariti in ordine ad vxorem ſit à Deo, non quòd Deus ſit, qui omnia componit matrimonia ſingulisque vxoribus ſuos deſtinet maritos, ſed conceſſo, quòd matrimonium ſit, à Deo omnis emanat poteſtas ſeu viri ſuperioritas in ordine ad vxorem: *Non eſt poteſtas niſi à Deo.*

Rom. 13. 1.

Ioan. 19. 11.

Tangit meâ quidem ſententiâ Apoſtolus, illud quòd dixerat Dominus: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Quatuor ſpecies recenſet ſuperiorum. Reges, Legiſlatores, Principes & potentes. Reges ſunt,

Prou. 8. 15.

qui

qui in mundo non agnoſcunt ſuperiorem, quoad temporalia, vnde & vocantur ſupremi ac independentes Domini. Legiſlator ſunt Senatores Reipublicæ,& Auditores Conciliorum : illi quippè ſunt, per quos diſponuntur & explicantur ſtatuta. Principes ſunt Proreges , & gubernatores , qui præſident in particularibus republicis. Potentes ſunt,quicumque alij miniſtri iuſtitiæ,qui aliqua pollent in Republica auctoritate. In his omnis concluditur poteſtas. Et hæc omnis poteſtas,ait Deus,à me dependet , omnes ſunt mei ſubſtituti , à Rege vſque ad abiectiſſimum apparitorem. *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, Et conſequenter nemo eſt,qui non ſit ſubiectus ſuis ſuperioribus , ſic vt, nullus ſit, qui non ſit Deo ſubditus. Hoc eſt tam ne eſſatium , vt ſine illo mundus perderetur. Optimè Spiritus ſanctus: *Vbi non eſt gubernator, populus corruet*. & doctis declaratur à D. Chryſ. ſimilitudinibus : *Sicut ſi gubernatorem à naue ſeparaueris , ſcapham ſubmerſiſti, & ſi ducem ab exercitu abducas , vinctos hoſtibus tradiſti milites , ita ſi principes in ciuitatibus auſtuleris, feris irrationalibus magis irrationabilem agemus vitam, &c. Quòd in domibus faciunt lignorum contignationes , hoc Principes in ciuitatibus, & ſicut ſi illas ſuſtuleris , diſſoluti parietes per ſeſe corruent, ſic etiam ſi ex mundo Principes tollas, & eorum metum, &c.*

Prou. 11. D. Chr. Hi. 6. ad pp. To. 5.

**§. 3. *In omnibus lucet ordo ſuperiorum & inferiorum. Sic quoque decretum eſt , in omnibus legibus, naturali , ſcripta, & Euangelica.***

☞ 5 VOluit habere Deus in mundo ſuos Vicarios, quoad regimen mundi , aliquos in ſpirituali , quoſdam autem in temporali. Omnes hi communicata ſibi à Deo vigent poteſtate, quæ de illo, vt primo principio ac origine deriuatur de vno ad alios, vnde tanta eſt diuerſitas Præſidentium, ſunt enim maiores, & minores, ſupremi & ſubalterni. Et omnibus ſatis eſt manifeſtum (inquit Apoſtolus ) ita hæc fieri debuiſſe, cum enim ſit mundus Dei manuum opiſicium, ita illud facere oportuit , vt quidam eſſet ordo, certuſque omnium concentus : *Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt*. Non produxit Deus multitudinem ſine ordine , hoc enim eſſet quædam indecens confuſio. *Multitudo ſine ordine eſt confuſio* ; vt aiunt Philoſophi. Proinde quia inconueniens erat eſſe confuſionem in ijs rebus, quas Deus creat , in omnibus his admirabilem planè decreuit ordinem ſtatuitque concentum. Dedit mundo principium duo producens genera creaturarum, vnum ſpirituale, corporale alterum : *Vtramque in principio condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem*, ambas verò miro ſtatuit ordine. Creaturas ſpirituales, Angelos dicimus quorum tantam creauit multitudinem , vt eorum numerum velut innumerabilem habuerit amicus ille Iob : dum ait : *Numquid eſt numerus militum eius.* Iob. 25. 3.

Illos nihilominus tam congruo diſpoſuit ordine , vt aptior non poſſit conſiderari: illos etenim in tres diſperſit hyerarchias, & earum vnamquamque in tres choros, vt ſimul nouem conſtituantur: quia vero tam apto ſunt ordine diſtributi, Ordines nominantur. Suprema Hyerarchia eſt Seraphinorum , Cherubinorum: & Thronorum. Media complectitur Dominationes, Virtutes, ac Poteſtatea. Infimam faciunt Principatus, Archangeli, Angeli. Et eò quòd omnem ſuperet intellectum hic ordo , Deus Iob amico ſuo propoſuit, num comprehendere poſſet illam diſpoſitionem tam numeris omnibus abſolutam, qua ratione omnes illi ſpiritus ſic miro ordine diſponantur, vt quidam ſint ſuperiores, alij inferiores; inter alios, quidam illuminent & non ſint illuminati: alij ſint illuminati, & non illuminent? Et quomodo vna hyerarchia ſit alterâ ſuperior ; ſimiliter & ſingularum hyerarchiarum chori ex ſuperioribus & inferioribus conſtituuntur , ita hocque tanta perfectione, vt nulli ſint ſcalarum gradus, nec illi quos Salomon throno ſuo regali compoſuit , nec illi quos viderat Iacob , ita ad perpendiculum circinumque directi, vt duo non ſint æquales in eodem gradu ſed omnes ita diſtributi, vt quidam ſint alijs ſuperiores: *Numquid noſti ordinem cœli & pones rationem eius in terra?* Iob c. 38. 33.

Idcirco communi ac frequentiori nomine in ſacris litteris vocantur exercitus, & ex tanta militum multitudine Deus dicitur *Dominus exercituum*: nihil enim hic eſt, quod magis certam requirat diſpoſitionem, quàm militum exercitus, qui ordinatur ac cõſtituitur ex ſuperioribus qui præſunt & imperant, & inferioribus, qui ſubſunt dictiſque obediunt. Vides in his Imperatorem, Magiſtrum equitum , caſtrorum præfectum, præfectum vigilum, Teſſerariũ , Tribunum militum, Tribunum armamentarij , ordinum ductorem, ſigniferum, centurionem, &c. Hinc nata eorum ſpirituum ruina, qui de cœlis eiecti fuerunt, & dæmones ſunt eò quòd ſtatutum ſibi à Deo ordinem ſeruare, ſupremamque eius, cuius debebant, auctoritatem ac poteſtatem agnoſcere recu-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ecuſarint. Voluerunt omnes eſſe Domini ac
Iud.6. ſuperiores; Ita notat Iudas Apoſtolus: *Angelis verò qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium*, &c.

Eodem modo voluit vt in rebus corporalibus debitus ordo ſeruaretur, Creatura corporalis
Gen.1.1. cenſetur cœlũ & terra: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Quaſi eo ipſo decreuerit ordinem ſuperiorum & inferiorum: cœlum vt eſſet ſuperius loco, virtute, motibus, de quo totius eſſe terræ dependeret; ipſa verò cœlo in omnibus, ad ſui conſiſtentiam ac cõſeruationem ſubderetur. Inter ipſos etiam cœlos ordinem poſuit, multos enim creauit, quoſdam tam alijs ſubiectos, ac ab alijs dependentes, vt tranſuerſim inter ſe tam admirabili concentu circumeoluantur, vt ex eo ſomniarint Philoſophi ſuauiſſimam quandam
L.de ſomno Scipionis. harmoniam oriri, dixitque Cicero, eam gratam, conſonam, ac eſſe modulatam, vt ſi quis eſſet in ſuperioribus illis regionibus, illum eorum dulciſſimo gratoque concentu in extaſim
D.Ambr. In præfat. ſuper Pſ. Tom.4. rapiendum: *Illum axem cœli* (aſſerit D. Ambroſ.) *fert quorumdam ſermo, quadam perpetui concentus ſuauitate verſari, vt ſi aſſuetudo permitteret, ſonus eius extremis terrarum partibus audiretur.* Non eſt verò harmonia, ſed ita finxerunt Poëtæ, per hoc indicantes extremum illum ordinem, proportionem, ac conuenientiam, quibus corpora illa cœleſtia diſponuntur; & quàm benè quædam alijs in ſuis motibus ac curſibus ſubor-
☞ 6 dinentur ac abijs dependeant. Omnia igitur, quæ Deus creauit, ſtatuit, vt ordinem ac concentum ſuperiorum ſeruarẽt & inferiorum; Tellus cœlo ſubiecta ſit, & hoc nedum in communi, vel quoad præcipuam ac maiorem partẽ, ſed quoad omnia, quæ eâ continentur. Terra inferior eſſet aquâ, hæc aëre, ille igne, ille primo cœlo, quòd eſt lunæ, illud ſecundo, quòd dicitur Veneris, hoc tertio, ſcilicet Martis: hoc quarto, nempè Solis, &c. Et hi omnes cœlo ſtellato, & ceteri omnes viii, quod omnes cœlos includit, ac mouet, vocaturque primum mobile, ex cuius motu totius motus pendent vniuerſi, tali connexu, quòd ſi hic vel vno inſtanti deficeret, totum hoc deficeret, corrueretque vniuerſum, ſicut in horologio ceſſante motu molæ, quæ ſpiritum vitamque ſubminiſtrat, totum confeſtim quieſceret ac conticeret horologium.

Creatis cœlo & terra, creauit in ea animalia, in aqua piſces, in aëre aues, & ſtatim in ijs voluit ſeruari ordinem. In hunc finem condidit hominem cui ait: *Dominamini piſcibus maris, &*
Gen.1.28. *volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Vt autem nouerit homo, quòd & ipſe pariter ſeruare debeat ſubiectionẽ, ac recognoſcere ſuperiorem, ſtatim in ipſa lege naturæ (vt notat D.Aug.) dedit illi præceptum, quo intelligeret, ſe habere illum ſuperiorem, cui In Pſ. tota natura obediret, & confeſtim ſubiecit viro mulierem: *Sub viri poteſtate eris.* Et eadem lege Gen.3. naturæ ſubiecit filios parentibus, quò ſciant omnes, in ea lege ſeruandum eſſe ordinem ſuperiorum & inferiorum. Dein accedente tempore legis ſcriptæ quo cuncta ordine diſpoſuit notiori, hoc ſingulari cura ſtabiliuit, deſignans ſuperiores, quibus ceteri ſubderentur ac obedirent. Proinde hoc promulgauit memoriale perenne: *Facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem* Deut. *elegerit Dominus & docuerint te iuxta legem eius,* 17.10. *ſequeriſque ſententiã eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. morietur homo ille.* In lege vero Euangelica hoc ipſum proprio ore pluries confirmauit: Semel dum docuit 1.Cor. ſubiectionem ac obedientiam debitam Romano 4. Imperatori, cui, ob eandem rationem, quòd eſſet Dominus, occurrere deberent, cumque tributis ſuis agnoſcere vt ſuperiorem, quocirca Iudæis quandam quoad hoc quæſtionem objicientibus reſpondit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, qua reſponſione reprobare voluit errorem Iudæis valde L.18. familiarem, auctore Iudæo quodam teſte Ioſepho nomine Iuda Gaulonite, qui in Actibus Apoſtolorũ dicitur Iudas Galilæus, qui hanc modicus defendebat opinionem, Iudæos, vt populum Dei, liberis ortum parentibus, cui Deus ipſe mãdata legemque præſcripſerat, non teneri Principibus alijs obedire, nec alios aut Reges, aut Imperatores agnoſcere ſuperiores. Error eſt hic, ait Chriſtus, eo quippè ipſo quo Cæſar veſter eſt ſuperior, ei debetis & tributa & obedientiam. Iterum in hoc Euangelio, dum ait: *Super cathedram* ☞ *Moyſi ſederũt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerunt vobiũ, ſeruate & facite.* Quibus hoc dicis Domine? Ipſis Apoſtolis, diſcipulis tuis, turbiſq; populorum. Illo mouebatur argumento Apoſtolus, vt diceret: *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit.* Quid ſignificat: *Omnis anima?* Dicam tibi, reſpondet D.Chryſ. *Etiamſi ſis* D.Chry. *Apoſtolus, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſi Sacerdos, ſi* Ho. *Monachus, ſiue quiſquam tandem fueris.* In hac Ep. vita nullus eximitur ab obedientia ſuperio- To.4. rum.

Hæreſim reſpuimus Begardorum, & noſtri temporis illuminatorum, eorumque hæreticorum quos vidit orbis Chriſtianus, maximè pernicio-
ſorum,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſorum, quæ docebat Chriſtianum à Chriſto in tantam aſſertum libertatem vt non teneatur agnoſcere ſuperiorem niſi Deum; ſpecialiter autem eos, qui ad tantum perfectionis gradum aſcenderant, vt nullos audiant Prælatos, quos ſolus Deus intus in cordis viſceribus illuminat. O fidei Catholicæ deſertores: error eſt, hæreſis eſt. Quantus ſis ſanctus, quàm perfectus, quantos in virtute feceris progreſſus: *Etiamſi Apoſtolus ſis Euangeliſta*, &c. Rationem autem ſubiungit D. Chryſoſt. *Neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio*, nec contra perfectionem militat etiam Euangelicam: lex enim Euangelica, lex Moyſi, legi naturæ non contradicunt. Ex lege naturali manat obligatio obediendi ſuperioribus, illa verò per legem Euangelicam non erat deſtruenda, ſed perficiẽda, & præclariori voluntatis reſignatione conſeruanda. Quando beati in cœlo regnabimus, non erunt ſuperiores, qui præcipiant, qui leges ſcribant: Tunc enim implebitur illud
1. Cor. 15. 24. Apoſtoli: *Euacuabit omnem Principatum, & poteſtatem, & virtutem*, & quod prædixit Iſaias: *Regnabit Dominus ſolus*. Porrò in hac vita: *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit.* Hinc educit Apoſtolus hanc concluſionem: *Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Conſtituit Deus, vt inferior obediat ſuperiori, mulier marito, filius Patri, ſubditus Domino, Regi feudatarius: Qui his igitur ſe opponit, Dei ſe opponit ordinationi, & conſequenter ipſe ſibi æternam procurat damnationem: *Qui autem Dei ordinationi reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

### §. 4. Super Cathedram. *Neceſſaria eſt cathedra, in qua ipſe Deus nos docet, vbi eſt vera ſapientia.*

☞ 7 LIcet hoc ita ſit, quòd in omni genere creaturarum voluerit Deus ordinem quemdam eſſe ſuperiorum & inferiorum, ſingulariter tamen hoc decreuit in ſtatu ſpirituali, & Eccleſiaſtico, in quo voluit vt eſſent ſuperiores, & Prælati, Curati, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, velut illuſtriſſimi cœli, alij alijs ſuperiores, ac vnus ſummus omnium Præſes, ſupremus ſcilicet Pontifex, tanquam primum mobile à quo depẽdet auctoritas motuſque ceterorum. Licet autem durum quid eſſe videatur ipſa ſubiectio, quæ omnes adſtringit, nequaquam talis eſt, ſed ecõtra nulla ſuauior diſpoſitio, in magnum noſtræ ſalutis beneficium. Ac inter cetera ad eum finem hoc ſtatuit, vt in mundo cathedra viſibilis erigeretur, in qua ſedent ſuperiores, vt nos regant, gubernent, doceátque. Valdè luculenter agit Iob (interprete D. Chryſoſt.) de diuina pro- *In catena*
uidentia, ſupernaque diſpoſitione, circa veram *Græca.*
ſapientiam, exponens qua ratione illam nobis & doceat & communicet. Quaſi querulus introducitur, ex eò quòd vbi inueniatur ſapientia,
neſciat: *Habet argentum venarum principia, &* *Iob. 28. 1.*
*auro locus eſt, in quo conflatur: ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs vertitur, &c. Sapientia verò vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligentiæ?* Hoc ſupponit, præcisè nobis eſſe neceſſariam ſapientiam ſupernaturalem ac diuinam, quâ ſaluemur, ſine quâ nemo ſibi certam promittat viam ad cœlum, nec veræ conſecutionem beatitudinis: dein quòd illam noſtris viribus aut ingenij acumine aſſequi minimè poſſimus, ſed requiri neceſſariò, vt eam nobis Deus infundat, ipſe illuminet intellectum. Præclarè
hoc dixit Sapiens: *Quis hominum ſcire poterit cõ-* *Sap. 9. 13.*
*ſiliũ Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus, &c. Difficilè æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt, quis inueſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis? &c. & quæ tibi placent didicerunt homines: nam per ſapientiam ſanati ſunt, quicumque placuerunt tibi Domine à principio.* Nec enim homo ex ſe aut ſcit aut ſcire poteſt, quis ſit ſuus verus finis, nec in quo ſua conſiſtat beatitudo nec ad quid eum Deus in hoc mundo creauerit, nec media, quibus eam poſſit aſſequi, nec quid ab illo requirat Deus, niſi Deus hoc illi reuelarit.

Hinc illa tam ſagax, piaque cœleſtis ſponſæ *Ser. 50 de*
petitio, quàm ad idem expendit D. Auguſt. quæ *Verb. Dom.*
ſtatim à principio ſuæ deſponſationis, huic ſpõ- *cap. 7. &*
ſo ſuo libellum obtulit ſupplicem: *Indica mihi* *ſeqq.*
*quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in* *Cant. 1. 6.*
*meridie Ne vagari incipiam, poſt greges ſodalium tuorum.* Singula verba ſuam habent energiam, præſertim ſi ſingula in lingua ſancta perſcrutemur, at ne diſcurſum fuſiùs extendamus, dico, quòd cœlica loquatur ſponſa, ſumptâ metaphorâ ab illo, qui progreſſus ad ciuitatem, in qua omnia ſua bona haberentur, viam non ſciret, ſed hoc
ſolummodò quòd vna tantùm recta ſit ac vera, *1. Similitudo.*
ceteræ verò præcipitia, & quibus occurrat, ac incidat in tigrides, leones, vrſos, ſpeluncas ſerpentum, aſpidũ, &c. Si vir ille occurreret quadriuio, ſemitis ab omni parte aperto, ſaltq; cerneret tritas, in quarum initio multi adſtarent, dicerentq;: Chariſſime, hæc eſt vera via ad vitam, reliquæ du-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ducunt ad interitum & mortem; quâ mille turbatus, quàm hæſitaret attonitus? Quantum illi foret beneficium, ſi quis illi viæ ducem ſecurum ac fidelem dare promitteret de quo hoc probè noſſet, quòd eum nec poſſet eludere, nec ſeducere, cui fidem dare tuto, quem ſequi poſſet omni poſtpoſita incertitudine. Omnes ex natura

D. Avg. L. 13. de Trinit. c. 3. 4. 5. To. 5

proficiſcimur, & in communi deſideramus beatitudinem. In hoc omnes (ait D. Auguſt.) conueniunt, & ad propoſitum refert, iocum illius mimi, qui die quadam cunctos inuitauit Romanos promittẽs, ſe omnibus dicturum, cordis ſingulorum deſideria ac voluntates. Omnibus igitur congregatis, ſic ait: Quotquot huc ſimul cõueniſtis, hoc optatis: *Vili vultis emere, & carò vẽdere.* Ego (inquit D. Aug.) dico, verius dixiſſet, ſi dixiſſet: *Omnes beati eſſe vultis miſeri non vultis.* Hoc eſt tam omni certo certius (ait) vt cum ſit primum principium inter Philoſophos Academicos, nihil eſſe in hoc mundo certum; Cicero tamen inter illos eminentiſſimus, hunc præclarum dialogum, quem intitulat (*Hortenſius*) ab illa propoſitione exorditus ſit: *Beati certè omnes eſſe volumus.* Multas vniuerſales propoſitiones (ait D. Aug.) ſtatuerũt philoſophi ac Poetæ, nullam tamen, hac certiorem ac ſapientiorem. Ennius Poeta, hanc aſſeruit: *Omnes mortales, ſeſe laudari exoptant,* &c. hæc & aliæ plurimæ ſuas patiuntur exceptiones, vt ille proſequitur, hæc verò nullam: *Omnes volumus eſſe beati*; cuius rationem aſſignat doctiſſimis argumentis D. Thomas.

II. Deſideramus omnes ex natura eſſe beati.

1. 2. q. 5. a. 8.

☞ 8

Attamen hoc opus, hic labor eſt, quòd ſi homo quærere velit viam ad illam beatitudinem, millenis occurret. Quidam etenim opinabantur, ad beatitudinem viam carpendam eſſe diuitiarum, ac totius orbis bona conquirenda; *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Alij docebant ſectandas eſſe delicias ſenſuumque voluptates: alij gulæ deſideria, epulas, cupedias; Alij ſtudia philoſophiæ. Alij dignitates, honores, loca primaria: alij bona corporis, alij bona animæ, alij ambo hæc; & hoc modo tantam inuenies differentiam, vt, auctore D. Aug. ex doctrina ſapientiſſimi Varronis circa hanc propoſitionem ducentæ octoginta octo diuerſæ inueniantur opiniones. Sibi proponit D. Aug. quòd in initio cuiuſque huius viæ, multi ſint, & quiſque eorum dicat; noſtram ſequimini ſententiam, hæc eſt certa veraque via. *Fuerunt quidam Philoſophi, de virtutibus & vitijs ſubtilia multa tractantes, definientes, diuidentes, ratiocinantes, ſapientiam ſuam buccis concrepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: nos ſequimini; ſectam noſtram tenete, ſi vultis beati eſſe.* At ſuper hæc directa ad

III. Quomodo acquiratur beatitudo.

Pſ. 143. 15.

D. Avg. L. 19. de ciuit. c. 1. & ſeqq. To. 5. Tra. 56 in Ioã. To. 9. L. de philoſophia.

cœlum via, eſt vera ſapientia, fides legitima, Dei cognitio, myſteriorum Chriſti ſcientia: *Hæc eſt* Ioan. 17. *vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Vt declarat D. 2. 2. q. 2. Thom. Hoc quis ſcrutabitur? quis capiet? Non a. 6. & 7. magis fuit quidpiam familiare inter homines, quàm quemque ſuas vias ingredi, & tot inuentæ apertæq; ſunt viæ, quot fuerunt hæretici, ab exordio mũdi, quiſque eorum ſuam aperit viam, & cum claſſe ſua adeſt, clamitans: Hâc eundum, ſi non vis aberrare. Hâc Pelagiani, hâc Priſcillianiſtæ, hæc Manichæi, hâc Ariani, hâc Sabelliani &c. Omnes hi elata voce clamitabant, inuitabãtque tranſeuntes in capite viæ ſuæ, hanc eſſe ſecuram affirmantes. O quales habuit D. Auguſt. diſputationes cum Donatiſtis, & Pelagianis D. Athanaſius, D. Ambr. contra Arrianos. D. Leo Papa, D. Gregor. contra Euthychianos. D. Cyrill. Hieroſolymitanus contra Macedonianos. Diuus Dionyſius Alexandrinus contra Sabellianos &c. Ob peccata vero noſtra, ac dolendam ſortem, noſtra tempeſtate quos videmus ac dolemus Lutheranos, Zvvinglianos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas &c. Qui magiſtri emerſerunt, ac viæ ductores innumeris populis ſeſe obtruſerunt, implentes quod Chriſtus prædixerat ſurrecturos nouos doctores, viarum ductores, ac perditionis magiſtros, qui dicerent: *Hic eſt Chriſtus aut illic.* Spon- Matt. 24. ſa conſiderat cœleſtis hanc varietatem, nouitque 23. vnicam tantum eſſe viam beatitudinis, reliquas verò vt præcipitia ad ruinam tendere. In tanto igitur magiſtrorum numero, qui ſe duces iactãt viarum, quâ ratione tutum certumque diſcernam? Hâc de causâ, ſponſum rogat, vt ipſe, qui eſt veritas & ſapientia, illam ei oſtendat, ac doceat, ne à recto deuiet tramite, magiſtros ſequẽs errons. *Indica mihi quem diligit anima mea, &c. ne vagari incipiam.* Ne ſtatim in principij veræ fidei aberrem, ductore magiſtro mendaciorum. Hoc igitur eſt, quo Iob anxius hærebat: *Sapientia vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligentiæ.* Si me auri argentique inuaderet conquirendi ſollicitudo, iam non vti inueniatur, in abditiſſimis videlicet terrarum venis: hæc enim omnia in iiſdem ſolis virtute procreantur: *Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur: ſapientia vero vbi inuenitur?*

§. 5. Ex

### §. 5. *Ex ſuauiſſima Dei prouidentia erigitur in hoc mundo cathedra viſibilis, cui noſtrum ſubiecit intellectum.*

9 IN ſummas querelas ſe his verbis effundit
vates Iob: q.d. Si quod quæro aurum eſſet,
vel argentum; ipſum in aurifodinis inueſti-
Iob 28.1. garē, etenim in illis producitur: *Habet argentum*
*venarum ſuarum principia, & auro &c.* Si fer-
rum, aut æs vellem, ad hoc terram effoderem,
illius enim ex viſceribus eruitur: *Ferrum de*
Ibid. 28. 1. *terra tollitur. &c. Sapientia verò vbi inuenitur, &*
*quis eſt locus intelligentiæ?* Cognitio ſecura tuta-
que Dei diuinitatis, altiſſimorum humanitatis
Chriſti myſteriorum, vltimi finis ſcientia, quo
tendendum, & quibus mediis Dei gratia, eiuſ-
que amicitia poſſit obtineri, ei quoque placere,
& eius in omnibus ſequi volūtatem (hæc quip-
pe omnia nomine ſapientiæ intelliguntur) *Vbi*
*inuenitur?* In terra non inuenietur, non enim
terrena eſt, qualis huius mundi eſt enim:
D.Iac.3. *Sapientia terrena, animalis, diabolica,* Si pelagus
15. trāſmeem, ſi eius abditiſſimas perſcruter abyſ-
ſos neque illic inueniam: ipsū quippe proteſta-
tur: *Abyſſus dicit non eſt in me & mare loquitur*
*non eſt mecū.* Si igitur his corporalibus prateri-
tis creaturas inueſtigauero ſpirituales, quæ vel-
ut aues leuiſſimæ volatu ſuo materialia cuncta
ſuperuolant, video ſuis intellectibus non poſſe
eam penetrare: *Volucres quoque cœli latet.* Hoc
igitur concludo, ei eam eſſe ſapientiam, quam
nulla creatura viuens ex veſtigio aſſequi poſ-
ſit: omnem enim ſupercellit naturam: proinde:
*Abſcondita eſt ab oculis viuentiū.* Quis igitur eam
poſſidet? Vbi inuenitur? *Deus intelligit viam eius,*
& patet ratio: eſt enim hæc ſapientia tam pro-
funda, vt cognoſcat intrinſeca Dei, ſecreta diui-
ni cordis, quid velit, quid ei placeat. Hoc eius
1.Cor.2. Deus noſſe poteſt, aſſerit Apoſt. *Quæ ſunt homi-*
11. *nis, nemo nouit niſi ſpiritus* Dei. Hoc eſt, ſi cordis
tui ſecreta quid appetas, quid propones, quid ti-
bi placeat, ipſe ſolus noſſe potes, vt nec ipſi
Cœlites ad animæ tua abdita queāt penetrare,
quantò minus Dei poſſunt ſecreta inueſtigari,
ſi ipſe non reuelarit, eaque nobis aperuerit. En
quam hoc conſonum verbis Iob: *Deus intelligit*
*viam eius, & ipſe nouit locum illius.* Si verò à D.
Paulo percunctieris, vnde tu noſti, vnde eam tu
obtinuiſti ſapientiam? Reſpondet: *Nobis autem*
*reuelauit per ſpiritum ſuum.* Nobis Apoſtolis, in
claſſis ſuæ electis magiſtris, quam vt alios do-
ceremus, nobis reuelauit. Dic igitur nobis, ô
Iob, Si ſolus eam Deus nouit, ſi nullus eā poſ-
ſit obtinere, niſi per reuelationē: an igitur Spi-
ritus S. venturus, qui eam ſingulis reuelet? Hoc
docuit Luthreus, hoc propugnant hæretici, quā
opinione plures in Eccleſiam introducunt con-
fuſiones, quàm fuiſſe legimus in turre Babylo-
nica, vt quiſque credat, hanc ſibi à Deo ſapien-
tiam eſſe reuelatam, & ſic ſibi perſuadent eorum
ſequaces, ſartores, ſutores, fabri ferrarij, cun-
ctique artis mechanicæ profeſſores inter ar-
tis ſuæ inſtrumenta, agricolæ inter aratrum
armorumque ſulcos, aquarij inter hydrias, pel-
les &c. O mentis inopes: an igitur Deus nos
tali exponeret confuſioni, vt dicat ille, quòd
ſibi Deus hoc reuelauerit, & alter, quòd ſibi
omnino contrarium? Fateor, quòd ſolus eam
poſſit Deus infundere: *Deus intelligit viam eius:*
porro: *Ipſe nouit locum illius & fecit ventis pon-*
*dus.* Deus huius auctor eſt ſapientiæ, & vt talis,
ille ipſe eam in hoc mundo collocauit certam,
ſuoque verbo approbatam. Hoc ſignificat ver-
bum *Nouit*, quod nedum ſimplicem ſignat co-
gnitionem, ſed & approbationem, more S. Scri-
pturæ. vt notarunt D. Auguſtin: D. Gregor. om- *Lib. qq. in*
nes SS. Doctores, quod illud ſcire dicitur *Exod. q.*
Deus, quod approbat, & quod reprobat, neſci- *153. & in*
re: *Scire Dei approbare eſt, & neſcire reprobare.* *illud Pſ. 1.*
Ita Apoſtolus, de prædeſtinatis: *Cognouit Domi-* *Nouit.*
*nus, qui ſunt eius.* Virginibus autem fatuis reſ- *Dominus.*
pondet ſponſus cœleſtis: *Neſcio vos.* Locum *& in Il-*
elegit ac ſtatuit ſecurum, approbatum, munit- *lud Pſ. 141*
que ſua diuina confirmatum, ſponſione & ver- *Tu cog-*
bi ſui diuini certitudine tutiſſimum. Locus *nouiſti.*
hic, Eccleſia eſt Catholica, vbi viſibilis cathe- *L. 3. Mor.*
dra eſt Diui Petri: hæc eſt quam Vates Zacha- *c. 24.*
rias ciuitatem dicit eſſe veritatis: *Vocabitur* *2. Tim. 2.*
*Hieruſalem Ciuitas veritatis.* Hic incorruptâ do- *19.*
cetur veritate, quis ſit Deus in ſubſtantia, quis *Matt. 25.*
in perſonis, quis filius Dei in ſe, & quis in natu- *Cap. 8. 3.*
ra humana, quid circa noſtram ſtatuerit ſalutē,
quæ eius ſint ſupernaturalia myſteria, quæ eius
Sacramenta, quæ lex, quid velit, quid eum de-
lectet, quid à nobis efflagitet. Hoc quoq; fecit:
*Fecit ventis pondus.* O diuinum ænigma. Venti
ſunt homines effrænes, indomiti ſui liberi ar-
bitrij, vt quiſq; ſuas liber ſequatur voluptates:
*Ventus eſt vita mea,* vel magis propriè, & propo- *Iob 7. 7.*
ſito noſtro congruentiùs dicamus, quòd venti *I.*
ſint intellectus & voluntates hominū, de qui- *Eccleſiæ*
bus hoc aptè dici poteſt, quod de vento Chri- *obedien-*
ſtus aſſeruit: *Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcis vn-* *dum.*
*de veniat, aut quò vadat.* Sunt hi venti, quos vidit *Ioan. 3. 8.*

 Propheta

Dan. 7. Propheta Daniel liberrimè diſcurrentes, mare
perturbantes, inuicem oppugnantes. Oculos
circumflecte per totum huius mundi pelagus,
attende Ariſtotelem contra Platonem, Plato-
nem contra Stoicos illos Philoſophos, qui to-
tum orbem ſuis diſputationibus ac argumentis
commouebant. Illis intellectibus fecit Deus
pondus obedientiæ, & ſubiectionis Eccleſiæ
Catholicæ, cui, ſtatuit, vt omnis humana ra-
tio, & intellectus argumenta ſubiiciantur: *In*
2. Cor. 10. 5. *captiuitatem redigentes omnem intellectum obſe-
quium Chriſti.* Ne vlteriùs progrediatur nec
punctum tranſgrediatur eius quod ex hac ca-
thedra docebitur: omnis pariter voluntas redi-
gatur, vt iis omnibus obediat, quæ in ea ſta-
tuentur, ac præcipientur, ac declarabuntur, ſe-
cundum Dei eſſe voluntatem: *Omnia quecum-
que dixerint vobis, ſeruate & facite.*

### §. 6. *Secura eſt doctrina cathedræ Eccleſiæ quam D. Paulus nominat columnam ac firmamentum veritatis.*

☞ 10 PErelegan̄ter hoc deſcripſit argumentum
1. ad Tim. 3. 15. D. Paulus dilecto diſcipulo Timotheo: *Hæc
tibi ſcribo fili Timothee, vt ſcias quomodo opor-
teat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei
viui, columna & firmamentum veritatis.* Qualia
epitheta adſcribit Eccleſiæ, tam ei benè con-
grua, Primò: vocat eam, *domum Dei.* Proponit
Spiritus S. immenſam Dei miſericordiam ho-
mini præſtitam, cui non ſuffecit, creaſſe in eius
obſequium totum hoc vniuerſum, hanc mundi
ciuitatem, tam latam, venuſtam, grandem, ſed
quòd ipſe dignatus eſt, ad ipſam venire in ea
habitaturus, domum ſuam in ea erecturus, vt
cum hominibus moraretur. Primò refert, quâ
ratione Dei ſapientia æterna totam hanc crea-
uerit machinam: *Dominus poſſedit me in initio*
Prou. 8. 22. *viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à
principio.* Cœlum ſuis coruſcum ſtellis condi-
dit, terram ſuis arboribus, fontibuſque fœcun-
dam, montes altitudine ſublimes, aquas piſcibus
refertas, auibus aera. Quia verò hæc omnia eò
Prou. 8. 31. ſpectabant, vt habitaret cum hominibus: *Deli-
ciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Proponit in hac
ciuitate, ſibi ædificare domum, quæ ſibi foret
Prou. 9. 1. propria & habitaculum particulare; *Sapientia
ædificauit ſibi domum.* Quæ eſt iſta? Ea quam
dicit Apoſtolus: *Domus Dei, quæ eſt Eccleſia Dei
viui.* Eccleſia Catholica hæc eſt illa domus, fir-
miter ædificata, hæc eſt, vbi erecta à Iacob vi-
detur ſcala, per quam ad cœlum ſcanditur, ex
qua deſcendunt Angeli; cuique conueniunt il-
la cognomina, quæ eidem tribuit Iacob: *Verè* Gen. 28.
*Dominus eſt in loco iſto,* & iterùm: *Verè non eſt hic
aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.* Extra hanc
non eſt Deus, nec in illa domo, quàm ædifica-
uit Arius, nec in illa quam Manichæus, nec in
illa quam Mahomet, nec in illa, quam Luthe-
rus; hæ omnes, Synagogæ ſunt Satanæ, ſpelun-
cæ ſerpentium; Alia quoque ei aſſignat epithe-
ta Apoſtolus: *Columna, & firmamentum ſeu ba-
ſis veritatis.* Eſt hæc Eccleſia ſecurum veritatis
firmamentum, quæ idcirco à Zacharia vocatur
*Ciuitas veritatis*: quidquid enim S. Eccleſiæ Zach. 8.
non innititur doctrinæ, mendacium eſt, ſom-
nium eſt, phantaſma eſt, & quàm primum veri-
tas huic non innititur, corruet deſinet eſſe veri-
tas, mutabitur in mendacium. Ea de cauſa ait
Spiritus S. verus ſapiens, vt ſecurus incedat ſit,
*In parietibus figens palum.* Baculus autem, quo Eccli. 14.
homo peregrinus proficiſcitur ad cœleſtem ci- 25.
uitatem, eſt intellectus, ſi velit eum eſſe viæ du-
cem ſecurum, firmumque baculum, Eccleſiæ S.
parietibus illum infigat: illi quippè ſunt, firma-
mentum ſuper quòd fundatur inconcuſſa ve-
ritas. Deinde: *Columna eſt veritatis*, in qua ipſa
fundatur, firmatur, & ſtabilitur immobilis. Do-
ctrina, quæ in Eccleſia non fundatur, non eſt
veritas.

Quantum conijcio ſpectat Apoſtolus quòd I.
conceſſit Dominus populo ſuo electo beneſi- Columna nubis
cium, dum eum ad terram ducebat promiſſio- ſignum
nis; propter enim itineris difficultatem, per de- Eccleſiæ.
ſerta tenebroſa, inuia, aſpera, mille ſerpentibus
obuia, ac letiferis animalibus infeſta, vbi ſi cui-
piam occurreret inimicus erat ſæuiſſimus, fal-
lax: & qui nedum rectam non monſtraret viam,
ſed & à via recta deduceret errabundum; quo-
circa myſterioſam illis columnam miniſtrauit,
quæ noctu vt ignis contra noctis tenebras
ac frigora: & calefaceret & illuminaret,
Luci verò contra ſolis ardores vehemen-
tiſſimos vt vmbella tutaretur, & obumbra-
ret.

Hanc eorum oculis expoſuit viſibilem, vt
omnes eam intuerentur: & in hac vt quadam
ſede Deus inuiſibilis reſidebat, ex hac loqueba-
tur, docebat, certam proponebat veritatem in
ordine ad proficiſcendum, eorumque quæ ſe a-
genda proferebat: *In columna nubis loquebatur* Pſal. 98.
*ad eos.* Quod ipſi videbant, columna erat illa
corporalis: attamen ad illam propriùs acceden-
tes, audienteſque quod illis dicebat; hanc eſſe

Dei

Dei vocem intelligebant, inuiſibilis, qui illis in hac, & per hanc viſibilem columnam loquebatur, proinde certo certius ſciebant, quòd columnæ huius ductum ſequentes, nequaquam poſſent deuiare. En tibi, quid ſit Eccleſia Catholica: *Columna & firmamentum veritatis.* Columna firma, ſecura non vincibilis, in tantũ, vt contra eum tota non poſſet poteſtas inferni præualere. Columna (teſte D. Clemente Alex.) apud omnes nationes ſymbolum eſt firmitatis: quocirca qui ſui æternam optabãt memoriam, columnas erigebant. Ecce, quàm firma ſit Eccleſia, columna: *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

(Lib. 1. Stromat. aliquanmlum ante finem. Matt. 16. 18.)

Conſtans cathedra Papæ, quæ ea eſt, quæ velut caput præſidet in domo immobili Eccleſiæ. Hinc conclude regnum illud fore immobile, quòd huic adhæret. Commune principium eſt, non poſſe regnum ſine religione conſeruari. Hinc ortus eſt zelus Romanorum pro honore, & ſacrificiis Deorũ ſuorum; ita vt Religio regna conſeruet. Vt clauus firmiter hæreat, infigi debet muro fortiſſimo, quòd ſi non, ipſe & omnia quæ clauo affixeris in terram prolabentur. Laudamus illam omnes ac veneramur ſententiam: *Si audieris vocem Sacerdotis tui, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus.*

(II.)

(Deut. 28.)

Ita videmus in ſacris litteris. Creat Dñs Hieroboam in Regem, timet hic, ne ſi populus domus Dauid qui partibus Roboam adhærebat, aſcenderet Hieruſalem cũ Sacerdotibus oblaturus Deo ſacrificia regnum trãsferret ad domum Roboam cum vera veri Dei religione: *Dixit Hieroboam in corde ſuo: nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in domo Domini in Hieruſalem.* Vt huic damno occurrat prauius, eos à templo quòd erat in Hieruſalem, à ſummo Sacerdote diuertere ſtuduit, idola conflauit, Sacerdotes initiauit, cenſens hac ſibi religione regnũ eſſe confirmandum, illudque Roboam finiendũ. Porrò paulò poſt moritur eius primogenitus, & demum tota eius ſtirps ac familia eradicatur: *Et propter hanc cauſam peccauit domus Hieroboam, & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.* Surrexit ac regnauit Aſa filius Abdiæ, qui domum eius deſtruxit, ita vt nullus ſupereſſet regni ſucceſſor totumque regnum exitio deuaſtatum, & ob peccatum abductum in ſeruitutem: ac in tantum hoc Deus ſcelere fuit offenſus, vt illius numquam oblitus eſſe videatur: vnde & iis occaſionibus, quibus mentio fit de Regum ſceleribus, ſemper memoria refricatur grauiſſimi illius ſceleris Hieroboam, illique cetera adſcribuntur, qui vtique lapis fuerit offenſionis & petra ſcandali, *Qui peccare fecit Iſrael.*

(3. Reg. 12. 26.)

(3. Reg. 12. 34.)

Hinc conſtans immobilitas regnorum Hiſpaniæ, promota ex firmiſſima cum ſede Apoſtolica vnione. Ac de Hiſpanis ſic D. Hieron. *Romanæ ſedi obſequentiſſimi.* Epiſcopus Rodrigues in Annalibus ſuis ſic ſcribit: ob hoc in Hiſpania continuatam fuiſſe regiam ſucceſſionem, alienigenis non permixtam ſeptuaginta duabus generationibus, à tempore Gothorum, vſque ad Henricum quartum, ſub quo hiſtoriam contexuit. Creuit quoque, hæc erga ſedem Apoſtolicam obedientiâ, iunctâ illi familiâ Auſtriaca, toto orbe celeberrimâ, celſitudine, generis nobilitate, pietate, deuotione, reuerentiâ perpetuò ſeruatâ Sedi Apoſtolicæ, vt patet in Frederico tertio, & Maximiliano eius filio, antecesſoribus Regis Hiſpaniarum Philippi ſecundi quo tempore alij Europæ Principes, à ſedis Apoſtolicæ obedientia turpiter deſciuerunt: Ita inter ſalutaria documenta, hoc præcipuè filio ſuo Carolus Quintus commendabat. Eſto ſemper, & per omnia obediens ac ſubiectus ſedi Apoſtolicæ Romanæ, ac Chriſti Vicario, qui eam gubernat, qui in terra nullum agnoſcit ſuperiorem, cui reges, omneſque populi obedientiam præſtare debent, humilemque reuerentiam. O Domine, Regna, in quibus Reges ſe ſedi Apoſtolicæ oppoſuerunt, quas ea amitates, quas non patientur aduerſitates: Vbi luna ſoli opponitur, quis lucis defectus, quæ non ſequentur incommoda? Ad regnorum igitur conſeruationem, medium hoc eſt neceſſarium, obedientia, exhibenda Pontifici reuerentia, honorque ſacerdotibus, ſubiectio ac ſubmiſſio ſedi Apoſtolicæ: huius enim nequit firmitas collabi, regna verò quæ ſub eius ſe colligunt protectione & obedientia, eius quoque participes fiunt firmitatis. Viſibilis eſt Eccleſia: quia eius caput eſt ſummus Pontifex Romanus, & Prælati eam gubernant, cum ſubiectione ad eundem Pontificem, viſibiles quoque fideles, qui in eadem Eccleſia commorantur.

(II. Hiſpanorũ obedietia ſedi Apoſtolicæ.)

Admiratur orbis id quod actum eſt inter Deum & Moſen: mittit illum ad Pharaonem, vt illi ex parte Dei renuntiet, expliceſque eius voluntatem. Excuſat ſe, nec ſemel ob linguæ impedimentum. Tandem *Iratus Dominus* eò quod Moyſes renueret agere, quod illi Deus imperabat; ac nihilominus condeſcendens eius infirmitati, linguæ tamen vociſque impedimentum non tollit, ſed ait: Bene quidem,

ſit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſit ita te linguæ balbutie præpediri: frater eſt tibi germanus Aaron, quem ſcio virum eloquentem, hic tibi in via occurret: *Loquere ad*
Exo. 4. *eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in*
15. *ore tuo, & in ore illius &c. Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum. Tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.* Chaldæus ſic habet apud Lipoman. *Ipſe erit interpres tuus, & tu eris in Principem.* Hebræus: *Tu eris ei in Deum*, Hoc iterum videmus. Dicit Dominus ad Moyſen: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron fra-*
Exo. 7. *ter tuus erit Propheta tuus, tu loqueris ei omnia,*
1. *quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem.* Domine, cui ſunt hi circuitus? Cum velis vt Moyſes ſit ille cui tu loqueris, ſit ipſe quoque qui loquatur, linguam ei exacue; vel dimitte eum, & age immediatè cum Aarone, vt ei loquatur, ac proponat quod populo eſt agendū. Hoc nolim, ait Dominus, Tu eris ipſe primarius, tu Princeps, ex te eos volo recipere mea mandata, & per te & te audient, quaſi ipſe ego
Caiet. eſſem qui loquerer. *Quod ſubijcit* (inquit Caiet.) *ipſe loquetur pro te ad populum &c. Id indicat, quòd ipſe Aaron fungetur officio oris tui relatiuè ad populum, tu autem fungeris officio oris Dei relatiuè ad Aaron, Moyſes enim reuelabat diuina. & dirigebat Aaron, Aaron verò communicabat ea populo.* Ecce ſupremam cathredam Moyſi, id eſt Papæ, qui immediate recipit verba, & mandata Dei, hæc communicat Aaroni, nimirum Epiſcopis ac Prælatis, per quos erudit populum.
D. Aug. Hoc eſt: *Super cathedram Moyſi.* D. Aug, ſic ait:
Qu. 10. *Magnum hic fortaſſis perſcrutādum eſt Sacramen-*
in Exo. *tum, cuius figuram gerit, velut medius Moyſes in-*
Tom. 4. *ter Deum & Aaron, & medius Aaron inter Moyſen & populum.* Deus eſt qui loquitur per Pontificem, quē viſibiliter videmus & audimus, & viſibili ſubiectione ad Pontificem, vult vt credamus, quòd ipſe ſit, qui loquitur quando Papa proponit aliquid viſibili Eccleſiæ fidelium, & quòd Papa ſit, qui communicat Epiſcopis, quod illi populo debent proponere. Porro hic Deus eſt inuiſibilis, hic ſedem figit: *Ecce ego vo-*
Matt. 28. *biſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſumma-*
20. *tionem ſæculi. Vobiſcum* non cum Mauris, Turcis, Arabibus, Gentilibus, idololatris, non cum Lutheranis, Caluiniſtis, Anabaptiſtis; ſed vobiſcum meis fidelibus. Ex hac columna loquitur docet, ducit ipſe Deus: *In colūna nubis loquebatur ad eos.* Quando Papam audis docentem, & ſanctam Eccleſiam te inſtruentem hoc noueris, Deum eſſe qui loquitur, & ſic tibi hoc audiendum, quaſi ipſe tibi Deus loqueretur, & ex conſequenti illa credenda tibi ſunt vt certa, ſecura ac infallibilis veritatis.

Erat Moyſes illius veteris Eccleſiæ caput, eius cathedræ Doctor cathedralis, vnde & vocatur Cathedra Moyſi, congregat populum, docet, proponit, determinat, præcipit, inſtruit, & ait S. pagina: *Crediderunt Domino, & Moyſi ſe-* Exod. 14.
*ruo eius.* Quis illis loquitur? Moyſes: cur igitur 31.
non ſufficit dicere, crediderunt Moyſi? Minimè, ſed crediderunt Domino, & Moyſi, prius Domino, quàm Moyſi: *Domino & Moyſi:* Quia ſciebant, quod licet quem loquentem videbāt, eſſet Moyſes de cuius ore verba promebantur, attamen credebant, quòd in ipſo Deus erat, qui verais hæc populo verba proponebat ac doctrinam per os Moyſi: vt intelligas, quando Papa tibi loquitur in articulis fidei, licet eum tantùm videas loquentem, tibi eſſe credēdum, quòd in ipſo aſſiſtat Deus, qui verba dicenda determinat, doctrinamque proponat tali modo, vt verò verius dici poſſit, Deum eſſe, quā Papam, qui loquitur. Notat hæc verba D. Hie- D. Hier.
ronym. & circa illa quandam obiici quæſtio- In epiſt.
nem quam intentioni noſtræ congruè diſſol- Philem.
uit. *Quæritur quomodo eandem fidem habere quis* Tom.
*poſſit in Deum, & in Sanctos eius?* Loquitur de Prælatis: *Ad cuius expoſitionem, de Exodo ſumamus exemplū. Credidit populus Deo, & Moyſi ſeruo eius, vna & eadem credulitas in Moyſen refertur, & in Deum, vt populus qui credebat in Dominum, æquè credidiſſe dicatur in ſeruum. Hoc autem non ſolum in Moyſe, ſed & in omnibus Sanctis eius, vt quicunque credit Deo, aliter fidem eius recipere nequeat, niſi credat & in Sanctis eius: non eſt enim in Deum perfecta dilectio, & fides, quæ in miniſtris eius odio & infidelitate tenetur.* Vna & eadē fides eſt, quā credimus Deo & Papæ: quia Deus ipſe eſt, qui verba à Papa promēda determinat, ipſe qui loquitur, ipſe qui nobis ea proponit, & ita credimus Deo, per propoſitionem quā Papa facit eius, quòd illi Deus reuelauit. Hic erat mos fidelium quando loquentē D. Paulum audiebant, de quibus ſic teſtatur: *Gratias agimus* 1. Theſſ.
*Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis à* 2. 13.
*nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbū hominū, ſed (ſicut eſt vere) verbū Dei:* Ex ore noſtro verba proſiliebant, & accepiſtis illa, non ſicut noſtra, ſed ſicut verba Dei: *Sicut verò* Exo. 16.
*tūt.* Propoſito conſonat, quod legimus. Murmurabat populus cōtra Moyſen & Aaron, ob panis inopiam, quid autem illis Moyſes: *Nec cōtra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dñm.* Duo iactabant ſe habuiſſe in Ægypto: *Sedebamus ſuper ol-*
*las*

,, *las, carnium, & comedebamus panes in ſaturitate.*
,, Carnes & panes. Dicit Moyſi Dominus: Hæc
Exod. 16.4. ,, ego illis promitto, & multò maiora. *Ecce ego*
,, *pluam vobis panes de cœlo.* Vt autem pateret om-
,, nibus quod dixerat Moyſes: *Non eſt murmur ve-*
,, *ſtrum contra nos*: illis expoſuit, quòd ſua verba
,, verba eſſent Dei, cui tantam deberent fidem ad-
hibêre, quaſi fuiſſent verba Dei, vnde dum ipſe
,, vult ad deſerta ſecedere: *Dixit Moyſes ad Aaron,*
,, *dic vniuerſæ congregationi filiorum Iſrael, accedi-*
,, *te coram Domino.* Credit Caietan. quòd ante-
,, quam erectum eſſet tabernaculum & arca, locus
,, quidam eſſet dedicatus Deo, vbi cum populo lo-
,, quebatur, & hic erat pes ceu baſis columnæ. Ly-
pomannus autem opinatur, vocem hanc: *Coram*
III. Deus eſt in ſuperioribus audiendus. ,, *Domino*, ſignificare coram Aarône. Adducite
,, illos hic coram me, vobis enim loquetur Deus.
,, Per quem? per me. Et myſterium notemus: con-
,, gregata enim omni turba in vnum locum: ait
,, S. textus: *Cumque loqueretur Aaron ad omnem*
*cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudinem,*
,, *& ecce gloria Domini apparuit in nube.* Loquitur
Exod. 16.10. ,, eorum reſpondendo murmurationibus, qui ſe
,, carnes & panes in Ægypto comediſſe gloriaban-
,, tur: *Ad ſaturitatem.* Quid eſt hoc? vt pateat quòd
,, vox Aaronis, & Moyſi, & Dei vna ſit, & ipſi in-
telligant, quòd quidquid illis Moyſes & Aaron
,, loquuntur, vox ſit Dei, quam vt talem audire de-
,, bent; ita interpretatur Lipoman. Et hoc ipſum
,, ibidem dicit Dominus: *Veſpere ſcietis: quod Do-*
,, *minus eduxerit vos de Ægypto, & mane videbitis*
,, *gloriam Domini.* Hæc autem eſt gloria Domini,
dare vicario ſuo auctoritatem, vt dixit D. Pau-
Rom. 4. 20. ,, lus de Abraham: *Dans gloriam Deo.* Ad hoc e-
,, nim eum glorioſa illa nube aſſumpſit: hoc e-
,, nim Deus ſibi ad gloriam reputat, verbis vi-
,, carij ſui Papæ dare auctoritatem, vt verbis ipſius
,, Dei.
12 Audit D. Ioannes ex ore Pontificis Caiphæ
quædam depromi verba, quibus ipſum Dei filium
morti condemnat: videntur horrenda, blaſphema,
Ioan. 11. 50. ſacrilega: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo*
*pro populo.* Noueris (ait D. Ioannes) quòd illa e-
go audio, vt verba Dei: eo quod Caiphas eſſet
ſummus Pontifex, proinde illa recipio, veneror,
honoro vt diuina, dicoque ea infallibilem conti-
nêre veritatem: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit,*
*ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit: quia*
*Ieſus moriturus erat pro gente.* Præcepit Spiritus
S. vt fidamus concluſionibus Regis temporalis,
ac credamus, datas ab ipſo ſententias eſſe iuſtiſſi-
mas: credere enim debemus, quòd cum ſit
Deus, qui eis hanc concedit poteſtatem, ipſe
quoque erit, qui eoſdem in ſuis actibus diriget Prou. 16.
iuſtè ac ſapienter. Hoc ſignificant hæc verba: 10.
*Diuinatio in labiis Regis, in iudicio non errabit os*
*eius.* Quam ſanum conſilium, vt de eorum non
detrahas ſententiis, quas iudices pronuntiant, li-
cet errare poſſint, ac ſæpenumero à vero & iuſto
aberrent. Æquum & iuſtum eſt, vt idem intelli-
gas de concluſionibus, quæ ex ore ſummi Ponti-
ficis dimanant, quem Deus magiſtrum elegit ve-
ritatis, & in quo & per quem illam particulari-
ter explanat ac proinde non poteſt à veritate
aberrare. Hinc capio prudentiſſimum Salomônis
conſilium quod dedit, dum die quodam, attenta
mundi vanitate, illam inſtituit concionem, quæ
cum tantæ ſit prudentiæ ac doctrinæ, meruit in-
ter Sacratos Scripturæ libros annumerari: *Cuſtodi* Eccl. 4.17.
*pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua*
*vt audias: multo enim melior eſt obedientia, quàm*
*ſtultorum victima.* Num ſapientius dixiſſet: Cu-
ſtodi caput tuum, Aut tolle pileum, proiice bire-
tum. quàm: *Cuſtodi pedem tuum, & appropinqua*
*vt audias?* Commemorat vt reor, hiſtoriam illam
rubi ardentis notiſſimam. Proponit Deus, cum
hominibus loqui, ſubintrat rubum, ait Moyſi:
*Appropinqua, vt audias.* Accurrit ille greſſu ac- Eccl. 4.17.
celerato, propius accedentem ſiſtit Deus, feſtina
lente, ſolue prius calceamentum de pedibus tuis,
magnaque illos fige diſcretione ac prudentia: *Lo-* Exod. 3.
*cus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* Licet autem
rubum videas, me in illo eſſe noueris, qui tibi lo-
quor: *Ego ſum Deus Abraham &c.* Proinde, dum
oculis cernis rubum, aures mihi arrige, non enim
vox eſt illa rubi, ſed mea.

Hæreo, in hoc Dei præcepto: *Solue calceamen-* ,,
*tum de pedibus tuis.* Ad quid hoc? Grande myſte- ,,
rium. Primum: Iſraelitis egreſſuris de Ægypto ,,
præcipit, vt habeant in pedibus calceamenta. Cur ,,
modò vult illa deponi? Calceamenta induere ſi-
gnum eſt itinerantis præcincti ac calceati: illa ve- ,,
rò exuere, ſignum quieſcentis. q. d. Siſte gradũ: ,,
huc enim ad longam temporis metam venien- ,,
dum, non autem vt ſtatim reuertaris. Ita interpre- ,,
tatur ac declarat Lipoman. Secundùm: vt expo- ,,
nat reuerentiam, quâ ibidem adeſſe deberet, vt
ſeruus coram Domino ſuo, ſumptâ methaphorâ ,,
à famulis, quibus proprium erat eſſe diſcalcea- ,,
tos, ſicut proprium dominis calceos induere. Ita ,,
Dauid, vt ſe Dominum ſignet Idumææ ſic ait. ,,
*In Idumeam extendam calceamentum meum.* Id ,, Pſ. 59.
eſt Intrabo Idumæam calceatus. Ea de cau- 10.
ſa ait D. Ioannes Baptiſta de Chriſto: *Non ſum* ,, Luc. 3.
*dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius.* ,, 16. L.
Ita notat D. Ambroſ. declarans illud Ioannis. ,, de benedic.

Patriar. ,, *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* Ipſe Dominus
Ioan. 3. ,, eſt, ingredere tu vt famulus, cui proprium eſt
29. ,, aures ad Domini ſui verba arrigere: *In auditu*
Pſ. 17. ,, *auris obediuit mihi.* Deus audiendus eſt in ſum-
45. ,, mo Pontifice, qui loquitur, decernit, definit; & eius verbis ſe ſubmittendo, eſt illi vt Domino obediendum. Hoc eſt quod vobis magnus ille ſuggerit faciendum prædicator Salomon. Quando Eccleſiam accedis, vt ab illa docearis, animæ tuæ pedes cuſtodi, intellectum, ac voluntatem: ne illos liberè vagari permittas, ne proprias inſequantur ſemitas, ne ſuis rationibus, aut inclinationibus pertinaciùs adhæreant,
Rom. 10. at *Appropinqua vt audias.* Auditus maximè mi-
17. litat fidei: *Fides ex auditu.* Hic cedendum eſt, vt doctrinam & mandata audias ſuperiorum, vt articulos fidei, ſine vlla replica, aut con-
1. Reg. 15. tradictione: *Omnia quæcumque dixerint vobis,*
21. *ſeruate, & facite.* Quod enim te decet, quodque neceſſariò ad ferendum, obedientia eſt. *Melior eſt enim obedientia.* Obedientia Eccleſiæ, eius Prælatis, & ſuper omnia, ei, qui ſuper omnes eſt, ſummo Pontifici exhibenda: in cuius præſentia, non à te requiritur vt videas, ſed audias Deum: *Appropinqua vt audias.* Liceat hominem intuearis, & ſit eiuſdem tecum conſors naturæ, quinimo ita ſæpe ſis illo quoad naturam, ſuperior, nedum in illa æqualis, ſcito, quod in ipſo & per ipſum loquatur Deus, & vt talis à te ſit audiendus.

### § 7. *Neceſſaria eſt vna Cathedra viſibilis, quæ nos doceat, & eiuſdem viſibiles ſint præceptores.*

☞ 13 DEcuit planè ſuauiſſimam Dei, qua nos gubernat, diſpoſitionem locum ſtabilire, & omnium cathedram erigere viſibilem, ad quam confugiamus à fallaciis doliſque liberandi, ac vt perfectam, plenamque habeamus ſecuritatem, in doctrina, in legibus, in credendis, & operandis. Si hoc decreuiſſet, quod mentiuntur hæretici, vnumquemque à Spiritu S. intus inuiſibiliter edoceri: quantum eſſet in orbe chaos opinionum? Diceret ille, hoc ego intellexi, alter verò, mihi eſt contrarium reuelatum, & cum ſit ſuæ quiſque fidelis amicus opinionis, illam ſibi cenſebit à S. Spiritu edoceri, quæ magis eius conuenit voluptati, vt illam ſequatur, prout agunt hæretici, quos graphicè, propriiſque nominibus, vt qui illos intus & in cute nouerat, deſcribit D. Iudas Apoſtolus:
*Sidera errantia, murmuratores, queruloſi, ſecun-* Iud. 1.
*dum deſideria ſua ambulantes: qui ſegregant ſemet-* V. 16.
*ipſos.* Qui cum primas appetant cathedras, aliſ- V. 17.
que imperare, nec id valent aſſequi, murmurant, impiè de Papa aliiſque Prælatis Eccleſiæ conqueruntur. Et ſicut ſuis in omnibus obſequuntur concupiſcentiis, quæ cum ſint multum inter ſe differentes, quiſque ſuam ingreditur viam, vt cometæ, ſeu ignium inflammationes, quæ in aëre diſcurrunt: *Sidera errantia.* Quæ motu non reguntur regulari, nec ordinata ad ſupremum cœlum ſubiectione, nec à primo mobili dependentia, vt alij planetæ, & ſtellæ veræ, ac fixæ, ſed ſidera erratica, diſconformia, quorum vnumquodque ignis ſuæ ducit affectionis: *Segregant ſemetipſos:* ſeipſos à grege dominico ſegregant, & ab aliis ſecedunt ſeparatim: quiſque enim ſuum ſequitur inſtinctum, quem licet dicat eſſe diuinum, propria tamen eſt nequitia, & diabolica ſenſualitas: Ad hoc nullum aptius duco eſſe remedium, quàm erigere cathedram viſibilem, vbi, qui ſedeat, homo ſit, conſtans carnibus, & oſſibus, palpabilis, nec purus ſpiritus, de quo ſumus certiores, quòd nos non poſſit ſeducere.

Hinc dubio cuidam reſpondemus, quod pro- L. 1. de
poſuit D. Aug. Voluit nos Deus eſſe ſapientes, doctrina
numquam enim illi ſtulti placuerunt, talibus Chriſtia-
quippe prædicit, eos domum ſuam non ingreſ- na in
ſuros, illos minimè cognoſcit, vt fatuis dixit principio.
virginibus: *Neſcio vos.* Quia verò ex natura ſumus ignorantes, dedit nobis, qui nos docerent, præceptores, Sacerdotes, Pontifices, homines ſimiles nobis, ex eadem maſſa procreatos, nobis affines, quos oculis noſtris cerneremus. In quem finem hoc Deus decreuit? An non expediens magis fuiſſet, & iuxta meliorem ordinem, ſi nobis Angelos aſſignaſſet magiſtros? cum enim ſint nobis naturâ ſuperiores, etiam intellectu, & ſcientia tales eos reuereremur. Diuino
planè conſilio (reſpondet D. Aug.) hoc ita Deus I.
diſpoſuit. Primò: vt noſtram honoraret natu- Cur Deus
ram, omnibuſque pateret, eam eſſe adeo capa- nobis An-
cem, vt licet in ea ſint ignorantes, ſint quoque gelos non
doctiſſimi, qui poſſint & alios inſtruere, nec præfece-
indigeant alterius ſpeciei natura: idcirco ait rit, ſed
ſapiens: *Cum magna reuerentia diſponit nos.* Se- homines.
cundò; vt mutuam conglutinet vniatque chari- Sap. 12.
tatem, ac inter præceptorem & diſcipulum ſan- 18.
ciat amicitiæ fœdera: vt enim proprium eſt patri, diligere filium, eo quod illi ſuum communicet eſſe, & filio diligere patrem, ob receptum ab illo eſſe, ita quoque nouimus amari diſcipulum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lum à magiſtro, & à diſcipulo magiſtrum. Aduertit D. Aug. hanc ab Apoſtolo adduci rationem, vt perſuadeat Theſſalonicenſibus, Prælatos ſuos diligant, ac revereantur: *Rogamus autem vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis eos abundantius in charitate, propter opus illorum.* Ratio verò principalis ea eſt, vt hominem reddat certiorem, & ab omni erroris periculo liberiorem, omnes decipulas auferendo: Si enim vt magiſtrum ſtatuiſſet impulſum interiorem, quem in anima ſua homo percipit, vt volunt hæretici ad ſingula momenta ſeipſum homo deciperet, credens hoc eſſe diuinum inſtinctum, quod propria fuiſſet voluptate ſuggeſtum. Si decreuiſſet nobis Angelos, quotidie nobis dæmones illuderent qui ſe in Angelos lucis nouerunt transfigurare. Sit ergo præceptor ſecurus, abſque periculo erroris, qui in Cathedra reſideat Eccleſiæ, homo ex oculorum agnitus intuitu, de quo ſubeſſe non poſſit error, aut fraus, num ille ſit doctor, nec ne.

*1. Theſſal. 5. 12.*

14 Hinc educit D. Auguſt. aliquarum rerum rationem, quas Deus fecit, & nobis à S. Scriptura referuntur, quæ certè ſunt admirandæ, & intentioni noſtræ conformiter eas trutinat prudentiſſimus Abbas Moyſes, vt habet Caſſia. Erat Propheta Samuel adhuc minorennis cui necdum Deus quidquam reuelauerat, dormiebat in tabernaculo, proximus cubili ſummi Sacerdotis Heli: nocte quadam vocat illum Dominus: *Samuel, Samuel.* Audit ille, credit autem ſe à ſummo vocari Sacerdote, quocirca illico ſtrato exiliens, cucurrit ad Heli. Domine, ecce ego. Cui ille: non vocaui te fili mi, ſomniaſti, reuertere & dormi. Reuertitur Samuel & vix dormitat, cum ecce reuertitur Deus, iteratò eum vocat: *Samuel, Samuel.* Feſtinus puer lectulum deſerit, currit ad Heli vt priùs, Domine, quid me vis facere, vocaſti enim me? Non te vocaui, fili mi, reuertere & quieſce: vix lectum repetierat, en tertiò vox de cœlo: *Samuel, Samuel.* Euro velocior feſtinat ſeminudus ad Heli. Domine, præſtò ſum, vocaſti enim me. Intellexit ergo Sacerdos puerum à Domino vocari, cui hæc mandat. Redi, fili mi, & ſi denuò vocauerit: reſponde: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Sicque contigit, vt reuerſus Dominus puerum iam quartùm inclamaret, cui ille ex ſummi Sacerdotis præſcripto reſpondit quo factum eſt, vt cum puero Dominus loqueretur, eique & quid vellet, ac fieri decreuerat, reuelaret. Cœlorum Domine, quæ ſunt hæ tuæ ambages, quis agendi modus? Vis loqui puero Samueli, & in eum finem ei toties acclamaſti. Quando vidiſti, quòd, te vocante, curreret ad Heli, ei dicere poteras, ſiſte gradum fili mi, non enim te vocat Sacerdos, ſed ego, & his citius finem imponeres intentioni tuæ, puerumque à tot vltrò citròque diſcurſibus liberares? Voluit Dominus, vt puer confugeret ad ſummum Sacerdotem, & ille eum doceret, quid ſibi foret agendum in reuelationibus, & hoc ſolum ſibi certum eſſe duceret, & ex Deo, quod ſummus Sacerdos vt tale eſſe concluſiſſet, ipſe quippe eſt, ad quem pertinet nos certiores reddere, & ad eum nos oportet confugere, vt ſine dolo quis ſit impulſus, ſeu Dei reuelatio, quæ dæmonis, aut carnis noſtræ, & concupiſcentiæ; quæ ſit veritas, quid noſtrum phantaſma eſſe intelligamus.

*Collat. 2. c. 14. & 15.*

*1. Reg. 3. 9.*

### §. 8. *In Eunucho Candacis, & Centurione Cæſareæ, ac in D. Paulo, nos docuit Deus ſubiectionem debitam magiſterio prælatorum Eccleſiæ.*

HOc idem, & præclariſſimis hiſtoriis in lege Euangelica reperimus eſſe confirmatum. 15 Narrat D. Lucas de illuſtriſſimo viro Reginæ Candâcis Eunucho: *Erat ſuper omnes gazas eius.* Hic in curru ſuo reſidens hanc legebat vatis Iſaiæ de Chriſto prophetiam: *Quaſi ouis ad occiſionem ducetur;* Apparet Angelus Dei Philippo, aitque; accurre, & *Iunge te ad currum illum.* Adeſt Philippus, audit illum hoc de Chriſto legentem vaticinium, quem interrogat: Domine mi dic (amabo) noſtin quæ legis? Cui ille. Quomodò hoc capiam, cùm locus hic non paruam habeat difficultatem, niſi magiſtro inſtructore? Aſcende currum, & enoda mihi difficultatem. Nodum illi diſſoluit Philippus, captata huius vaticinij occaſione, ita eum plenè de omnibus fidei Chriſti Ieſu inſtruxit articulis, vt illuminatus baptiſmi ſupplex ac fidelis petierit Sacramentum. Ignoſcat mihi Deus, non capio, quòd miſerit Deus Angelum ad Philippum, præcipientem, vt accedens Eunuchum pleniùs erudiret: An non compendioſiùs fuerit ac faciliùs, nec cum tantis ambagibus, & ad auctoritatem aptiùs, vt Deus Angelum Eunucho mitteret, qui eum inſtrueret, præceptorem? Idem conſiderandum venit in eo quod idem memorat Euangeliſta. De celebri illo Centurione Cornelio Cæſareæ præſidiario, viro religioſo, eleëmoſynario, orationis amico,

*Act. 8. 29.*

*Act. c. 10.*

co, Dei famulatui ita dedito, vt domus eius in monaſterium mutata eſſe videretur. Hic imperfectè in rebus fidei erat inſtructus, rudis & ignarus. Deſtinat illi Deus Angelum, qui iubeat, dicatque, ſibi à Deo impendi pergrande beneficium, nimirum vt perfectè de omnibus ad ſalutem animæ neceſſariis inſtruatur; proinde ad ſe curet vocari virum quendam nomine Petrum, Apoſtolici collegii primicerium, caputque Eccleſiæ: qui hoſpitabatur apud Simônem quendam coriarium, cuius domus eſt iuxta mare: *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Sapientiſſime Deus, an non minori negotio cum iam mittas Angelum Cornelio illuminando, eundem mitteres & præceptorem, qui pariter eum fidei doceret rudimenta, & hoc modo tam Angelum, quàm Cornelium his omnibus anfractibus liberares? Pârum quid eſt, eum ob id tantum mittere, vt dicat Centurióni: quære Simônem Petrum: Interea dum Cornelius his intendit, poſſet per Angelum perfectiùs edoceri. Indicare nobis voluit Dominus (teſte D. Auguſt.) quod nobis Angelos non elegerit præceptores, nec velit, vt ad ſciendum nobis neceſſaria, expectemus, donec ipſi deſcendant nos inſtructuri; ſed homines: primariò quidem Petrum; & vt attendamus, quòd in tantum audire debeamus Angelos, ac revelationes, in quantum nos remittunt ad D. Petri cathedram. & nobis ſuggerunt eius nos decreto ſubmittere ac doctrinæ, eiuſque ſucceſſoribus in cathedra reſidentibus, Romanis Pontificibus, Prælatiſque Sanctæ Eccleſiæ; deinde hoc intendit, vt iugiter hæc maneat inſcriptio: *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Hoc pronomen demonſtratiuum *hic* perſonam ſignat ad quam nos Deus remittit; fuſiùs explicando dicens, *Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* En quam ſecura certaque definitio Petri eius Cathedræ, & eius qui in ea præſidet Eccleſiæ gubernator.

Tandem ponderat D. Auguſtin. quod amplius miremur id quod egit Deus cum D. Paulo, quem in præceptorem Doctoremque Eccleſiæ præelegit. Vt leo rabidus ſpirans minarum & cædis in Chriſtum eiuſque nouellos furit diſcipulos: apparet illi de cœlo Chriſtus proximus Damaſco, quem cœleſti lumine circumfulſit, tanta voce illum alloquitur, vt ex equo in terram procubitum deiiciat, ſibi ſubſternat, qui inſtar ouis manſueſcens ſtupens ac tremens
Act. 9. dicat: *Domine, quid me vis facere?* (Cui Dominus reſpondet:) *Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere:* Moratur ibi Ananias, quem tibi deſtino præceptorem; hic tibi meam explicabit voluntatem, & quid tibi ſit credendum, faciendumque declarabit. Hæc dicens, aſſumpſit eum in ſpiritu, vſq; ad tertium cœlum, illum docet, & tam profundam intellectui infundit ſapientiam, vt ipſemet fateatur, *Audiui arcana verba, quæ non licet homini* 2. Cor. 12.
*loqui.* Quæ ſunt hæ Domine diſpoſitiones? tu 4.
ipſe de cœlo deſcendis, magiſter ſapientiſſimus: ipſe Paulum cœleſti tua luce circumcingis, ipſe eum de altiſſimis vocas, ipſe eum inter Seraphinos extollis extaticum, vbi cuncta eum tua edoces myſteria, tam ſubtiliter, vt nulla poſtmodum verba reperiret idonea, quibus ea hominibus perfectè explicaret; nihilominus hæc tua eſt voluntas, vt ciuitatem ingrediatur, & ad pedes Ananiæ humilis ſedeat diſcipulus, qui timore percullſus, & ſiniſtra de Saulo opinione perturbatus contremiſcit? Sic eſt, vt noueris quòd licet Chriſtus ſupremus primuſque ſit omnium magiſter, fidei ac veræ ſapientiæ cœleſtis auctor, quique ex abundanti ratione hodie de ſe dicit: *Vnus eſt magiſter veſter Chriſtus.* velit nihilominus, vt ille ipſe quem docet, ſubmittat ſe Prælatis, ac magiſtris, quos ſuos ſtatuit eſſe in Eccleſia Vicarios, & quanto hic tempore viuimus, ſecuras habeamus reuelationes, raptuſque in cœlum, ac quod nobis ex illo reuelant Seraphini, in quantum conueniunt doctrinæ, quam ipſe nos Dominus docet per ſuam Eccleſiam Catholicam, ac per præceptores à ſe conſtitutos: quod ſi contrarium fuerit, iam nunc dixit Apoſtolus: *Sed licet nos aut Angelus de cœlo euange-* Gal. 1. 8.
*lizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, Anathema ſit.*

Videmus hoc ad praxim redactum in admira- L. 1. vit.
bili illa virgine, noſtri temporis S. Thereſia de c. 27.
Ieſu. Narrat Epiſcopus Taraconenſis, quinimo & ipſa quod dum fundandis monaſteriis intenta, Veæ hæreret præceperit illi Prælatus Exem-
ſuus, Dominum conſuleret, quid congruen- plum O-
tiùs foret, Madriti monaſterium erigeret, vel bedien-
Siuiliæ. Obedientiam impleuit, Dominum con- tiæ.
ſuluit: cui ille declarat, ſuam eſſe voluntatem, vt Madritum pergeret; quod ſuo indicauit Superiori: cui ille reſpondit, ſe velle, non eò tenderet, ſed Siuiliam, ibique collegium extrueret. Quantocius illa, cuncta itineri neceſſaria Siuiliam verſus diſpoſuit. Poſt aliquot dies quærit ab illa Superior: qua ratione hæc feciſſet: cum votum emiſiſſet, agendi ſemper, quod ſciret eſſe Dei voluntatem: dicebat autem illa, Deum ſibi hoc reuelaſſe, hanc eius eſſe voluntatem,

tatem, vt Madritum proficiſceretur; præſertim cum ex varijs conſultationibus ac rationibus certum omnino crederet, Deum ipſum ſibi hoc indicaſſe. Reſpondet illa, quòd nec illa reuelatio, nec quotquot accipiunt homines, ſe ita de voluntate ac decreto Dei redderent certiorem ſicut ſui dictum ac voluntas Superioris: Obedientiam enim ſuperioribus debitam, eorum præcepta, cenſebat illa, expreſſam eſſe Dei voluntatem; nec ſe poſſe in hoc deludi, benè quidem in reuelationibus. O ſtupendam reſponſionem. Ex hac ſubiectione ortum habuit in illa actus ille tam horrendus, ac moleſtus, imo moleſtiſſimus quo Chriſto verpum ſeu medium vnguem porrigebat, (a) dum ſibi in principio ſuæ conuerſionis apparebat, quia hoc ei faciendum præceperat confeſſarius: qui hoc ſibi perſuadebat, hunc qui D. Thereſiæ apparebat, eſſe dæmonem in figura Chriſti, licet autem illa contrarium ſciret; ſed eſſe verè Chriſtum, ſe tamen ſecuriorem cenſebat, in hoc quod ſibi erat agendum, ex eo quod præcipiebant Superiores; & in vtroque caſu reſpondit illi Chriſtus, quòd prudenter feciſſet, viam autem eſſe tutiſſimam & ab omni deceptione immunem, ſimplicem Superioribus præſtitam obedientiam, qui Dei obtinet locum, ſuntque illi per quos ſine dolo ſuam declarat voluntatem; quocirca notatu digniſſima profero tibi eiuſdem D. Thereſiæ verba. *Quotieſcumque mihi Dominus aliquid in oratione præcipiebat, ſi mihi contrarium mandaret Confeſſarius, conuerſus Dominus aiebat: vt illi obedirem: deinde ſuggerebat ei Dominus: vt idem mihi, & ipſe præciperet.* Hæc igitur eſt optima doctrina, quæ deſtruit efficaciter omnes noſtrorum temporum illuminatos: ſuperiores ſunt, ex quibus tibi Dei voluntas certo cognoſcenda.

(a) Dar higas al enſinos Chriſto. Lib. 2. vitæ ſuæ c. 26.

Hanc à ſuperioribus dependentiam nouerat Rebecca, geminis prægnans. Cupit ſcire myſterium, & quid ſibi ſit agendum: *Perrexit vt conſuleret Dominum.* Ne credideris, (monet D. Chryſoſt.) quòd perrexit per ſe conſulere Dominum, ſed per ſacerdotem. Aliqui opinantur (vt refert Theodoret) quòd is erat Melchiſedech: quia medijs Sacerdotibus ſuam Deus reuelat voluntatem, prædicitque veritatem. Opinor ergo, niſi me fallat memoria, Sophronium referre in Prato Spirituali de Sacerdote vitæ meritis adeo inſigni, vt illi familiare eſſet, Angelorum apparitionibus recreari, quibuſcum ſuauiter, & diutius colloquebatur, licet per ignorantiam, inter miſſarum ſolemnia, non aduertens aliquos committeret defectus. Reuerſis denuo cœleſtibus, aiunt Angeli puriſſimi, talis me ſacerdos, de omiſſis in Sacro ritibus redarguit, num verum? Reſponderunt: Verum. Cur igitur iam toties in eoſdem defectus relapſum non correxiſtis? Reſponderunt: Quia hoc communiter nobis non eſt conceſſum, ſed præceptoribus, quos Sancta ſtatuit Eccleſia, quibus vult Deus cæteros eſſe ſubiectos, nobis tantum conuenit homines conſolari. Concludo igitur cathedram eſſe viſibilem cui te oportet eſſe ſubiectum.

Gen. 25. 22. Hom. 50. in Gen. q. 1. 75. in Gen.

## §. 9. *Vna eſt Eccleſiæ Cathedra: quia vna eſt eius doctrina, licet diabolus velit linguas confundere, ſicut in turri Babylonica.*

SVpereſt & aliud notandum in hoc modo loquendi noſtri Redemptoris, qui, cum ſit infinita ſapientia, etiam in minutiſſimis punctulis cœleſtia recludit myſteria. Cur igitur dixit: *Super cathedram*, & non *Super Cathedras*. Cum liquidò conſtet, multas imo plurimas fuiſſe cathedras? Licet enim vnicum tantum eſſet templum, ac tota lege veteri, non niſi vnum fuerit, quod locus erat vbi Deo ſacrificia offerebantur; erant tamen innumera loca, & cathedræ, in quibus ſedebant Scribæ & Phariſæi, vt legem Moyſi explanarent, populum regerent, mandata proponerent: quia ad hoc erectæ erant Synagogæ: opera ſcilicet maiora, vt modo concamerationes templorum noſtrorum, in quibus erant cathedræ, vt modo habemus pulpita, ex quibus Phariſæi, & Scribæ legem Moyſi prædicabant, & ſingulis Sabbatis populum inſtruebant. Quinimo addit Philo, quòd ibidem Pſalmos canerent, orationes funderent: ob quam rationem Synagogas vocat: *Oratoria, & ſcholas omnium virtutum*, & de illis multis in locis loquitur, ſimiliter & Ioſephus. Erant autem tot Synagogæ, vt quiſque locus, quantumuis exiguus, ſuam haberet, quæque ciuitas multas, quæq; Prouincia plurimas. Ita legimus in S. Scriptura Synagogas Galilææ, Damaſci, Salaminæ, Antiochiæ &c. In ſola Hieruſalem erant quadringentæ, & octoginta, in omnibus conciones fiebant, lex Moyſi explicabatur, vt teſtatur D. Paul. *A temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus Moyſes, qui eum prædicent.* Cum ergo tot fuerint cathedræ, & in ſingulis ciuitatibus plures, cur Chriſtus dixit in ſingulari: *Super cathedram*? Vt indicet, quod licet multæ eſſent materialiter, formaliter tamen vna erat: quia eandem omnes

L. 3. de vita Moyſi & l. de Eſſen. & l. ad Caium. Lib. 2. contra Appion. Vide Toletum c. 16. Ioan. Annunt... dictum trahi... ſcribit. Corin... in c. 9. Actu. 15. ad 21.

doctrinam, fidem, Sacramenta, & myſteria profitebantur.

Eo modo, quo D. Zacharias Ioannis Baptiſtæ *Luc.1.07.* pater dixit: *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius.* Non ait: *per ora,* ſed, *per os*, Quod ergo multi Prophetæ, multa habeant ora, multas linguas, quiſque ſuam, non abnuo; ſed omnia erant vnum os: quæ omnimoda vniformitate loquebantur, omnes enim eandem fidem, eandem doctrinam eademque myſteria tradebant. Vna vnica eſt Eccleſiæ Cathedra, licet enim multa materialiter ædificata ſint pulpita, eaque differentia, in quibus docetur, diſponitur, ordinatur, præcipitur: attamen omnia ſunt vna fides, vna doctrina, vna Domini lex, *Epheſ.4.5* eadem Sacramenta: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* *De vnitate Eccleſia.* Materiæ noſtræ congruum edidit D. Cyprian. librum ex quo plura ſumpſit D. Aug. in quo præcellentiam extollit Eccleſiæ, quæ eſt *L.18.de ciuit.c.41. & 51.* Catholica, quæ ſemper fuit vna; & Cathedra, ex qua docet, fuit quoque ſemper eadem. Inter Philoſophos, inquit D. Auguſt. inuenies varias differentes, mutatas & multiplicatas cathedras: quia quiſque ſuam docebat opinionem particularem, diuerſam, imo contrariam alteri. Erigit Socrates cathedram, quæ Stoicorum præſcribitur, in qua ſuam vendidit Philoſophiam. Surrexit Plato, ſeque Socrati acriter opponit, ſuam erigit cathedram, quam Academicam ſeu Platonicam nominabant. Prodit in arenam contra illum Ariſtoteles eiuſdem diſcipulus, & ex diametro illi repugnat aliam erigit cathedram, quam dicunt Peripateticā ſeu Ariſtotelicam. Erãt hæ omnes, multæ cathedræ: quia erant ſententijs diſſidentes, & directè oppoſiti. Ex ſuperbia natum eſt hoc diſſidium, quã turgebant mundi ſapientes. *1.Cor.8.1* *Scientia inflat.* Vnuſquiſque enim proprio ſtudebat honori, ac ingenij ſui ſubtilioris laudem aucupabatur. Vnde hoc intendebat, vt ipſe talis doctrinæ, primus ac proprius auctor cenſeretur, qui præ alijs acumine ingenij, ac intellectus perſpicacite longius emineret. *L. cit.* Ex quibus infert D. Auguſt. hanc eorum Rempublicam iure merito vocari potuiſſe turrim Babylonicam, vbi quiſque ſuâ loquebatur linguâ, vicino ſuo diſcrepanti, quo factum eſt, vt numquam turrim hanc doctrinæ ædificare potuerint, ſed per vniuerſum mundvm errabundi, ſinguli ſuã profeſſi ſint. Poſt hæc, cum eſſet diabolus huius mundi Deus: *Princeps huius mundi*, & ipſe ſit omnis pater mendacij, qui vnitatem non ſeruat, nihilque tam deſiderat, quàm animarum diuiſionem, decreuit, vt quæque Reſpublica ſuas haberet particulares opiniones, ſacrificia, ceremonias, in honorem diuerſorum idolorum, verius dæmonum, quos in eorum ſingulis adorabat; proinde ſicut vnaquæque ciuitas ſuos Deos venerabatur: *Secundum numerum ciuitatum tuarum, erant Dij tui:* Hier. Ita quoque erant diuerſæ in vnaquaque ciuitate, ac loco cathedræ.

Ornatè hoc dixit D. Auguſt. expendens locum quendam Ezechielis Prophetæ, ac ſupponens ſuperbiam eſſe matrem productricem multitudinis ſententiarum, ac cathedrarum: mentiri quippe non poteſt, qui dixit: *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia. Alia facta (inquit) in Africa, alia in Ægypto, alia in Meſopotania, verbi gratia, diuerſis locis ſunt diuerſa: ſed vna mater ſuperbia, omnes genuit. Neq; mirum, ſi ſuperbia parit diſſentionem: hæc enim germana ſoboles eius eſt.* D. Aug. L. de ... c.10. Tr.9. In ſuperbia ſchola Satanæ fundatur, hinc tota redundat varietatibus quinimo & propter hanc rationem ait D. Aug. Vocat David iſtos cathedraticos vnicornes, dum orat: *A cornibus vnicornium erue me.* Pſ.21. Proprium enim eſt huic animali, eſſe ſingulare: *Odit omne conſortium.* Verumtamen in Eccleſia Catholica, ſicut eſt Dei reſpublica, qui auctor eſt ac Pater veritatis, & hæc vna eſt, tantum vna eademque ſententia ab omnibus edocetur, vna fides, eadem Sacramenta, vna lex, vna tantum videtur cathedra, vna confeſſio, vnum Credo, vnum Euangelium, ac in ea id fit quod optabat D. Paul. *Obſecro vos fratres &c. Vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſed ſitis perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* 1.Cor.1. Et qui docent, non ſuo nomine docent, nec ſe auctores oſtentant opinionum; omnes in perſona Chriſti & Dei loquuntur, qui auctor eſt fidei, & magiſter vnicus, à quo omnes Eccleſiæ doctores ſunt conſtituti ac ſubſtituti, repetitores, ob quam rationem ipſe in Euangelio ait, ne velimus vocari Magiſtri: quia non nos ipſos iactare debemus auctores eſſe fidei: hic enim ſolus eſt Chriſtus: *Vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.* Notetur modus loquendi, quo Deus vtitur apud Ezechielem: *Neque enim quæſierunt paſtores mei „ gregem meum.* Cum autem Paſtores tam parum „ inuigilent ouibus meis, ait Dominus, illos repel- „ Ezech. 34. lam. *Ceſſare faciam eos, vt vltra non paſcant gre- „ gem meum.* Et quis ô Domine curabit gregem „ tuum? *Suſcitabo ſuper eos Paſtorem vnum qui paſ- „ cat eas, ſeruum meum David.* Quomodo dicit *V- „ num?* An non per Hieremiam multos promiſerat „ Paſtores? Concedo; ſed vnum primarium, ac „ cæteris ſuperiorem, ac cuius vices obeunt, im- „ plentque cæteri commiſſiones, Vnde & addit: „ *Seruus meus David princeps in medio eorum;* quem „ vocat D. Petrus *Principem & Epiſcopum anima- „ rum.* „

*rum*. Reliqui vero ſunt velut eius œconomi, qui diſpoſita ab ip ſo diſponunt, quod ille ipſe præcipit gubernandum, gubernant, & omnes ex eo ſuam ſumūt poteſtatem. Hoc ipſe declarauit dum ait: *Ego ſum paſtor bonus*. quod duo (notatore Caietano) complectitur: *Ego ſum ille Paſtor; ille bonus*. (Ioan. 10.) Ille deſideratus cunctis gentibus, ille bonus per eſſentiam, ille qui oues, vt proprias habet; reliqui, paſtores ſunt ouium ex commiſſione, quam illis ſuper gregem meum concedo, vt ſuper eas inuigilent, & illi multi ſunt attamen vnus ſolus ipſe, qui vt auctor fidei ac doctrinæ, vult vt cæteri paſcant illa eadem doctrina oues ſuas, ipſe inquam Dominus Chriſtus eſt.

17 I. Veritas doctrinæ fundatur in humilitate.

Fundatur Chriſti ſchola in humilitate, & ſicut ſuperbia variarum ſcaturigo eſt doctrinarum, humilitas è contra ea eſt, per quam in vna eademque ſententia conuenimus, noſtrum captiuantes intellectum. Quimmo, ea de cauſa tantopere eam Chriſtus commendat in Euangelio. Hinc educit D. Auguſt. bellum pœnæ omnium atrociſſimum à diabolo excitatum in Eccleſiam per hæreticos, qui ad hoc adlaborant, vt quiſque ſua inſtructus opinione prodeat in aciem: nedum Eccleſiæ Catholicæ ſententiæ contradicens, ſed aliorum quoque euertens dogmata hæreticorum, ita vt ſuam quiſque defendat, teneatque ſententiam. Tentauit in hoc perfidus ille tentator illo quoque vti medio, quo Dominus in eum vſus fuerat, vt miniſtrorum eius arrogans euerteret intentum: ædificabant enim turrim Babylonicam, nominis ſui famæque quærentes celebritatem: *Celebremus nomen noſtrum*. Concorditer omnes huic adnituntur operi, omnes vno loquuntur idiomate, iiſdemque verbis vtuntur. *Erat terra labij vnius, & ſermonum eorundem*. (Gen.11.4.) Hac vniformitate ſolidati turrim paulatim promouent in altum hoc intendentes, vt culmen eius pertingeret ad cœlum. Vult Diaboli machinas deſtruere, eorumque ambitioſam demoliri præſumptionem, humiliare ſuperbiam; quid agit? confundit linguas eorum ſic, vt quiſque ſibi propriam habeat: vt huius non conueniat cum alterius, & iſtius diſcrepet ab illius & illius lingua: *Confundamus linguam eorum, & non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui*. Hoc modo in aëra euanuit tota hæc turris tam immenſa, operiſque celeberrimi ædificatio. Adeſt Chriſtus turrim Eccleſiæ conſtructurus: *Turris fortitudinis à facie inimici*. (Pſal.60.4.) Quæ ad tantam excreſcat altitudinem vt ad cœli verticem pertingat, & terram cœlo conſederet, ſitque illa, per quam ad ſidera homines aſcendere valeamus. In hunc finem omnibus vnam infundit linguam, vnam fidem, eadem Sacramenta, vnam legem, vnam ſententiam, vnum caput viſibile, ſcilicet Petrum, ſuper quem totum hoc fundauit ædificium, vnum Euangelium. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. (Marci 16.15.)

Adimplet quod olim verbis præclariſſimis per vatem Sophoniam addixerat. *Reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno*. (Sophon.3.9.) q.d. abſtuli eis labium vnum, vno loqui idiomate, vt vlterius non proficeret terrenæ turris Babylonis ædificatio: ego ipſis hoc reſtituam ſed electum, purum, mundiſſimum. *Reddam eis labium electum*, vt omnes adlaborent, & conſociati progrediantur ad opus *Humero vno*. Sumitur hæc metaphora, ab ijs qui magnam ſuſtollunt trabem, humeros humeris ſociant, & pari conatu adnituntur: ita tollent crucis meæ pondus, meum Euangelium omnes: *Humero vno*, & pari conatu in vinea laborabunt. *Prædicate Euangelium*: vnum Euangelium, vnam fidem, vnam doctrinam. O quàm altum aſcendit hæc turris, quàm proficit creſcitque Eccleſia! Opponit ſe diabolus per miniſtros ſuos Imperatores, Monarchas, Tyrannos, totamque mundi potentiam in Chriſti Eccleſiam armatam, nec illo poteſt modo exſurgentem machinam impedire, quid conſilij? Hoc intendit, quod olim Deus contra eum laborat confundere linguas eorum, tam efficaciter, vt vnus alterum non intelligat. Hoc agit per Hæreticos, vt eorum ſinguli ſuâ prodeant armati ſententiâ, ita vt, nedum ſe Eccleſiæ opponant Catholicæ, ſed & ſuos impugnent conſodales; idque tanta opinionum varietate, vt ſuam quiſque tantùm nouerit linguam, defendatque ſentētiam. Quæ linguarum non fuit ſemper inter illos diuerſitas? Noſtra tempora conſideremus. Exoritur Lutherus ſua lingua, ſua fide, cui ſe confeſtim opponit Caluinus ſuâ doctrina, ſtatim euolant Oecolampadius, & Zvvinglius, alij vſque ad infimæ ſortis homines, ſartores, ſutores, cæmentarios, textores &c. ita vt, quotquot in vna domo morabantur, non vnanimes in domo, ſed multianimes inter ſe diſſiderent. Pater Lutheranus, mater Caluiniſta, filius Proteſtans, filia Zvvyngliana &c. Hoc in illis impletur à Deo prædictum infortunium per Iſaiam, vt bene notat Doctor Angelicus: *Sciſſuras ciuitatis Dauid videbitis: quia multiplicatæ ſunt*. (In c.12. primæ ad Corinth. Lect.2.) Attamen non præualebit diabolus quidquid enim molitus fuerit, ſemper manebit; viuet, triumphabit vna Cathedra, vna lex, vnum Euangelium, vnum in Eccleſia Catholica caput viſibile. (Iſai.22.9.)

§.10. Vni-

**§. 10. *Vnitas Cathedræ ſumitur ex vnitate capitis ſignificata in tunica Christi contrapoſita velo templi.***

12 *Lib. de vnitat. cit.* PROſequitur D. Cyprian. docetque vnde vnitas hæc ſumatur & vna cathedra: reſpondet autem ex tribus principijs quæ ſignat Apoſtolus in illis iam ſæpe repetitis verbis: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Primò: vna eſt Eccleſia Sancta, quia vnum habet caput, nempe Deum. Infideles multas habent cathedras, nec eſt vna eorum Reſpublica, quia multos colunt Deos, & nec regnum poteſt eſſe vnum, ſi multi imperent Reges. Vt Deos venerabantur, dæmonia, idola, homines flagitioſiſſimos, illique erant multi: *Sunt Dij multi, & Domini multi.* *1. Cor. 2. 6* inquit Apoſtolus cauſam exponens varietatis inter infideles: *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Vnum ſolum Deum, ex quo cuncta procedunt, ad quem, vt ad vltimum finem properamus: *Nos in illum*, ita vt ſit vnum & principium & finis noſter. Vnum ſolum nouimus Dominum Ieſum Chriſtum, per quem omnia ſunt, & viuunt, & nos ſumus per illum. q. d. Agnoſcimus vnum caput inuiſibile Deum, vnum viſibile Ieſum Chriſtum, & quia ipſe in cœlos abijt, habemus illud quod ſibi ſubſtituit, nimirum Petrum, Romanoſque Pontifices, Chriſti vicarios, Petri ſucceſſores, qui in eadem reſident & præſident cathedra: En primum tibi fundamentum, vnde Eccleſiæ Catholicæ vnitas oriatur, ex eo quod vnum ſolum habeat caput nempe Chriſtum, eiuſque loco Pontificem Romanum caput viſibile, cui voluit omnes Eccleſiæ ſuæ fideles, Superiores, & non ſuperiores eſſe ſubiectos, quo Eccleſia ſua, non minus eſſet vna, quàm vnum eſt regnum, in quo vnus ſolus rex præſidet & dominatur, non ſolum omnibus particularibus, ſed & nobilioribus, ac Dominis.

19 *Serm. de Natiuit. S. Ioan.* Hoc, ex opinione D. Euſebij Emiſſeni, Dominus intimauit Petro, quando iam à mortuis rediuiuus, ad executionem eius quod promiſerat vita viuens mortali, illum ſummo Pontificatus honore ſublimauit, vt refert D. Ioannes, *Ioan. 21. 17.* primò illum de amoris dilectione examinans ternis vicibus eſt percunctatus. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Hoc enim cæteris pluris refert Prælato, & cum illi ſecundò dixiſſet: *Paſce agnos meos*, addit tertiò: *Paſce oues meas.* Ne opinemur, (inquiunt SS. Patres) hanc verborum Chriſti differentiam, à myſterijs vocare. Hoc ego reperio (ait D. Emiſſen.) quod nomine agnorum, ſubiecit Petro Chriſtus omnes in ſingulari fideles, & ouiũ ſymbolo omnes Eccleſiarũ Superiores: ſunt enim hi velut oues, quæ vt agnos filio paſcunt lacte cœleſtis ſuæ doctrinæ: *Prius agnos, deinde oues commiſit: quem non ſolum paſtorẽ, ſed paſtorum paſtorẽ, eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues, paſcit filios, paſcit & matres, regit & ſubditos, & Prælatos. Omniumq́; igitur paſtor eſt: quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt.* D. Bernard. hanc viam inſequens, credit, quòd dum Chriſtus Petrum inſtituit paſtorem, illi abſolutè commendans agnos & oues, declarare voluerit, quòd illum ſtatueret, quaſi caput, non illius Eccleſiæ ſignanter, vel aliquarum tantùm, ſed totius Eccleſiæ vniuerſalis, vt tota hæc vnum haberet caput. Loquitur D. Bern. Papæ Eugenio tertio, qui prius monachus & diſcipulus fuerat D. Bernardi, deinde euectus ad ſupremum culmen Pontificiæ dignitatis, illum vt patrem qualis ei fuerat, conſulebat. Salutaria illi Bernardus præſcribit monita, primum, vt conſideret, quæ ſit eius dignitas, cui & eminentiſſimos affigit titulos, ſummo Pontifici conuenientes: *Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. tu Princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë: Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es cui claues, cui oues creditæ ſunt.* Agnoſco nec diffiteor, illos quoque eſſe in Eccleſia & paſtores ac ſuperiores, qui etiam claues gerunt cœlorum: porro hæc primò poteſtas ex tua deſcendit, ſecundò illam habent illi in agnos particulares, tu verò in omnes, vt caput vnicum Eccleſiæ vniuerſalis. *Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum paſtores; ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hereditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi vniuerſi crediti vni vnus, nec modo ouium, ſed & paſtorum, tu omnium vnus Paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbis Domini. Cui non enim dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè, & indiſcretè tota commiſſa ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? iſtius aut illius populi, ciuitatis aut regionis, aut certe regni? Oues meas inquam. Cui non planum non deſignaſſe aliquas ſed aſſignaſſe omnes.*

Idem ait D. Bern. liquet in eo quod narrat D. Ioannes, in eadem occaſione contigiſſe. Reſuſcitato

citato Domino quidam ex Apoſtolis ad mare Galilææ aſcendunt nauim piſcaturi; ſed vacua ſemper attraxerunt retia. Ad auroram in littore apparet illis Chriſtus, qui illis: *Pueri numquid pulmentorium habetis?* Reſponderunt non: *Mittite in dexteram nauigij rete.* Miſerunt, iam non valebant illud attrahere præ multitudine piſcium. Dicit D. Ioannes Petro: *Dominus eſt.* Confeſtim: *Miſit ſe in mare*, marinos calcans vortices: *Alij autem diſcipuli nauigio venerunt: non enim longe erant à terra.* Quid hoc myſterij, vt ſolus Petrus mobile illud variumque pedibus terat elementum: nec ad quidem ea tantum vice, poſt Christi reſurrectionem, ſed & ante eius mortis paſſionem, vt deſcribunt D. Matth. D. Marc. D. Lucas tanquam grande myſterium. Tale verò eſt; quod ſi tibi non exciderit, iam dixit D. Ioannes: *Aquæ multæ, populi multi ſunt.* In particularibus nauibus cæteri ad Chriſtum appellunt quia reliqui Superiores, curam tantum habent particularium Eccleſiarum; Petrus autem maris vortices pedibus ſubſternit inclinatos, ipſe ſolus eſt, qui ſecundus poſt Chriſtum mare perambulat, & eius virtute, mundum, mare dictum, omneſque populos: ipſe quippe eſt caput vnicum mundi, eorumque omnium, quibus Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificans, ſolum caput vniuerſale erat ſignaturus. *Quid iſtud?* (quærit D. Bernard.) *Nempe ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauim vnam, vt cæteri quiq; ſuam, ſed ſeculū ipſum ſuſceperit gubernandū. Mare enim ſeculum eſt: naues Eccleſiæ. ſolus Petrus gradiens ſuper aquas, inſtar Domini, vnicum ſe Chriſti vicarium deſignauit, qui non ita populo, ſed cunctis præeſſe deberet: ſiquidem aquæ multæ, populi multi ſunt.* Ex hac vnitate capitis, pendet vnitas Cathedræ & Eccleſiæ.

Ioan. 21. 6. — Apoc. 17. — D. Ber.

Ad baſidem cadit illa tam docta, quàm acuta

20 D. Cypriani conſideratio; de quo mutuatus eſt D. Auguſt. quod nobis ait D. Ioannes de tunica Chriſti: *Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.* Crucifixo Domino, partiti ſunt milites inter ſe Chriſti veſtimenta, inter illa erat eius tunica ſed: *Inconſutilis, deſuper contexta per totum*; ſicut caligæ inferiores acu contextæ ſic vt ſingula fila ex vno dependerent quod erit omnium ſupremum. Vt eam inconſutilem notarunt, noluerunt eam in partes diffindere, ſed ſortem mittebant, vt eam totam ſibi aſſumeret, cui ſors fauebat. Anne putare debemus quod tale opus inane fuerit, & velut arundo vacua? Licetne opinari quòd D. Euangeliſta hanc deſcripſerit circumſtantiam ſine magno myſterio? An exiſtimandum, quòd Chriſtus luxuum mundi contemptor, & præcipuè veſtium pompæ, voluerit hanc in tunica ſua admittere ſingularitatem, vt eſſet inconſutilis: *Deſuper contexta per totum*, non attento grauiori Sacramento? Certè grande veneramur (inquit D. Cyprian.) myſterium. Diuidunt inter ſe milites Chriſti veſtimenta, diſcindunt, & quique militi ſuam aſſignant partem. Tunicam verò non diſcindunt, quæ vna eſt, vnitate tam ſtricta, vt nec ſuturam habeat, ſed ſit: *Deſuper contexta per totum.* Perſpicuum omnibus, in Sacris litteris per tunicam deſignari regnum, quod rex induit, quoque adornatur, Vnde & tunicam diuidere ſignificat regnum diuidendum, inter plures diſpertiendum. Ita res patet ex Sacris litteris: dum enim Deus decernit ſegregare ac diſpertiri populum ſuum, & Regem decem tribuum creare fortiſſimum ducem Hieroboam, locutus eſt Abiæ prophetæ, vt nouam tunicam in duodecim ſciſſuras parteſque diuideret, quarum decem offerret Hieroboam, ei ex parte Dei hoc dicens: *Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael; Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Vna Vnica eſt Chriſti tunica, tam vna, vt tota contexta ſit, filis inuicem inter ſe intertextis. Nec vult nec permittit, vt vlla fiat in ea diuiſio, quo ſignificet, quòd vnum ſit ſuum regnum, vna ſua Eccleſia Catholica, in qua fila, id eſt filij fideles, inter ſe ita contexuntur & coadunantur vt vnam telam conficiant: *Vna eſt columba mea.* Hæc illa eſt fidei confeſſio fideliſſima. *Credo vnam ſanctam Catholicam Eccleſiam.* Vnde verò procedit illa vnitas, & fila filis ita intertexta reperiri? Ex parte ſuperiori: *Deſuper contexta per totum.* Incepit ab vno filo ſuperiori, ex quo reliqua dependebant, & connectebantur fila, ſicut in capite & principio: *Deſuper* hoc eſt, ex vno capite viſibili ſuperiori vno Romano Pontifice, à quo dependent omnes fideles, fidei confeſſio, certitudo doctrinæ, vſus Sacramentorum. Sicut vnitas arboris (inquit D. Cyprian.) dependet ex trunco, ex quo recipiunt virtutem rami maiores illi connexi, & per hos, minores, vſque ad tenuiſſima folia: Ita quoque à Pontifice pendet vnitas Eccleſiæ, vt à trunco primario, qui fundatur, & vires ſumit à Chriſto, qui radix eſt, vt probat ex Iſaia Apoſtolus: *Radix Dauid.* Ex illo dependet poteſtas, & auctoritas Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, rurſum ab illis Curatorum, Confeſſariorum, Prædica-

Lib. de vnit. Eccleſ. & Epiſt. 103 ad Maxi. — Ioan. 19. 23. — 3. Reg. 11. 31. — Cant. 6. 8. — Rom. 15. 12.

torum, vt vel minimum in Dei Eccleſia ab illo trunco oporteat dependere. *Iſa.c.19. 18.* Diuine profectò dixit Dominus per Iſaiam: *Ciuitas Solis vocabitur vna:* quia in hac Eccleſia ſolem erat creaturus à quo lucem mutuarent ſtellæ, & omnes ciuitatis illius incolæ: illum verò dicimus ſummum Pontificem Romanum, Petri ſucceſſorem, Apoſtolorum primipili, quibus Chriſtus ait: *Vos eſtis lux mundi?* *Matt.5. 14.* Ex illo dimanat illa lux in ſtellas, & cœlos, hoc eſt in Superiores, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Prædicatores, totamque Eccleſiam: ita vt (teſte D.Cypria.) ſicut nullus fructus, virtus nulla de ramo ſperanda eſt, qui reſcinditur, & à trunco ſeparatur, nec lux à ſtellis vel minima, quæ ſolis radijs ſubducuntur, ita neque ſperare quis poteſt veram fidem, doctrinam ſolidam, nec Sacramenta, nec Chriſti virtutem, qui ſe à Romano diſiungit Pontifice.

*Serm.10. & 17. de paſſio. Domini.* Hanc magis confirmat admonitionem D.Cypriani de tunica Chriſti, id quod expendit D. Leo Papa circa velum templi in morte Chriſti; Monet nos D. Mattheus, vt fixis oculis conſideremus, quod qua hora Chriſtus expirauit, quando tunicam ſuam diuidi non permiſerat, decreuit vt velum templi medium à ſummo vſque deorſum ſcinderetur: *Matth.27 51.* *Ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum.* Ne diſputemus num vnicum tantum fuerit velum, vt ſentit Abulenſ. *a.* & Epiſcopus Ianſenius. *b.* vel duo, vnum ad interiora velanda, alterum ad exteriora ſeparanda, vt indicant Ioſephus. *c.* aliique auctores, etiam Sancti vt D.Thom. *d.* Imo Lipeman. Epiſcopus Veronenſ. *e.* arbitratur fuiſſe tria. Quæ cum ita ſint, quod eorum ſciſſum eſt in duas partes? Id dico, velum fuiſſe principale, quod abſolutè vocabatur velum templi. Erat autem pretioſum valde, quale Dominus Moyſi præceperat cõtexendum, quale & Salomon appendit: *f. fecit Salomon velum ex hyacintho, purpura, cocco, & byſſo, & intexuit ei Cherubin.* Solidum erat ac adeo firmum, vt aliqui putauerint ex Ioſepho telam habuiſſe ad quatuor digitorum craſſitiem, quo mirabile illud notandum venit, tale à ſummo vſque deorſum velum diſcindi potuiſſe: non enim erat tela aranearum, nec byſſus, nec carbaſus, ſed quale deſcripſimus. Latent verò in hoc diuina quædam myſteria; verumtamen quod nobis maximè congruit, hoc eſt, quod expendit D. Leo Pontifex. Contextum erat velum, vt tunica Chriſti, cuius textura deſuper ordiebatur, vt diximus, ſimiliter illa veli à filo ſuperiori. Chriſti tunica non diuiditur: quia eius regnum & Eccleſia ſemper manet indiuiſibilis, at velum templi Iudæorum medium diſſcinditur: quia templum hoc deſtruendum erat, Sacerdotium, ſacrificia, ceremoniæ cæteraque omnia antiquanda, vnde diuino conſilio eius incipit ſciſſura: *A ſummo vſque deorſum.* Voluit hanc Deus euertere Rempublicam, quæ nihil erat niſi figura & vmbra futurorum: texuerat illam, & vnam confecerat, cuius vnitas ab vno capite, ſummo *Pſal. 132. 2.* ſcilicet Sacerdote originem ducebat: *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Hinc illa Synagogæ veteris vnitas: hinc eius ſcaturit interitus, quòd per mundi cardines diſperſi Iudæi, erratici, diuiſi, huc illucque captiui abducti, vt nihil illis ſuperſit: *A ſummo vſque deorſum.* Summus exſpiret Sacerdos, ſic vt & eius deſit potentia, qua hora, Chriſtus in cruce expirauit, & iam ante hoc predixerat Caiphas, ſuorum ſciſſura veſtimentorum. Ita hac, ò Caypha, ſcindantur in partes veſtimenta, manu fortiſſima, vt vna hac, altera illac diſtrahatur, & defuncto illo ſupremo capite Summo Sacerdote, eius ſequatur perditio: *Vſque deorſum;* vt nec antiqua vigeant ſacrificia, nec ceremoniæ, nec oblationes, nec templum, nec miniſtri, vt hoc ipſa hora aduertimus omnia euanuiſſe. At Chriſti tunica, eius Eccleſia, cuius exordium: *Deſuper,* illi capite ſuperimpoſito viſibili, manet integra, indiuiſa, vnaque perſeuerat. Ab hoc capite pendent cætera: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* *Matt. 16. 18.* En tibi cathedræ vnitatis fundamentum, cui Eccleſia innititur; petræ, Petro. Nouit hoc apprimè diabolus, cum omnis eius ſit ſolicitudo curaque perpetua, machinas ſuas eò dirigere, vt hanc euertat ſoliſſimam petram. Hic eius fuit primus impetus per hæreticos: qui hinc vnicè ſtudent & adlaborant, vt Papæ, Romanique Pontificis detractent auctoritati, retexant, ſcindantque filum, quod ex eius defluit poteſtate ad Prælatos maiores, & de illis ad minores, & reliquam denique Eccleſiam.

*Marginal notes:* a In c.3. l. 2. Paral. b Cai. 143 Concord. c Lib. 8. Antiquit. c.3. & l.9. de bello Iudaico c.6. d In c.27. D.Matth. e In Caten. in Exod. c.4. tex.2. ad finem. f 2 Paral. 3.14.

## §. II. *Similiter ſumitur vnitas Cathedræ, ex vnitate doctrinæ: quod Salomon declarat.*

SEcundum ſtatuit Apoſtolus, ex quo maximè propriè deſumitur vnitas cathedræ, nempe doctrinæ vnitatem, quam omnes profitentur. Vnam fidem: *Vna fides* ex vno magiſtro Chriſto Domino deriuata, quem idem Apoſto-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Apoſtolus ea de cauſa vocat: *Auctorem fidei & conſummatorem.* Ille ipſe eſt, eam docuit Apoſtolos, & præſertim verò D. Petrum, cui ob præclaram fidei de Chriſto profeſſionem nomen impoſuit petra Eccleſiæ ſuæ fundamentalis, ſuperquam illam fundaret, pro quo & rogauit, vt fides diuina cathedræ eius numquam deficeret, ſed ab eo in cæteros ſecura, puraque dimanaret. Hinc conſilium illud, quo Apoſtolus finem impoſuit epiſtolæ illius ad Hæbreos tam fuſæ, quàm cœleſtis: *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci, optimum eſt enim gratia ſtabilire cor.* Supponit (inquit Angelicus Doctor) quòd fides, vera ſit, ac proinde, vna, *Vna fides* quia, vt ſapienter ait philoſophus, veritas conſiſtit in indiuiſibili, quod eſt, rem ita eſſe, vt dicitur: Mendacium infinita habet diuerticula: quia quidquid à veritate aberrauent, ſiue ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram mendacium eſt: ſicut vt quis in ſcopum iaculum dirigat, ſola & via eſt tantùm via; verum vt ab illo declines, millenas inuenies: *Doctrina fidei*, (loquitur D. Thom.) *Vna eſt, quoniam à puncto in punctum non conuenit ducere niſi vnam lineam, omnes aliæ doctrinæ multæ ſunt: quia à recto multis modis contingit deuiare.* Itaque monet Apoſtolus: Cauete ab hac vnitate deuiare, & doctrinis varijs ac peregrinis abduci: hæ verò ſunt errores ac hæreſes, quæ variæ ſunt, quia fidei, quæ vna eſt opponuntur, & peregrinæ, (interpretatur D. Hieron.) quia per lata longaq; mundi vagantur incertæ, incerti laris, inconſtantis cathedræ. D. Chriſoſtom. pro peregrinis legit *Nouis*: quod nihil ſit magis proprium hæreticis, quàm in doctrina fidei ſectari nouitates: vt enim hi omnes ſuperbiæ faſtu intumeſcunt, ſuo cenſent honori derogatum, ſi quæ dixerint alij, ipſi quoque profiteantur, nec ex officinis ſuis, ſeu ingenijs noui aliquid cudant. Cauete, hortatur Apoſtolus: *Et nolite abduci doctrinis varijs ac peregrinis*, ne ſitis, vt ſuber expoſitum mari, quod ventus in diuerſa rapit agitatum: *Non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Sed eſto conſtans, & diuina gratia ſecurus: *Optimum eſt enim gratia cor ſtabilire.* D. Anſelm. intelligit per gratiam, veritatem fidei Euangelicæ; hæc enim eſt ſingularis quædam gratia, nobis à Deo conceſſa: iſta cor tuum, conſulo, ſtabilias ac confirmes.

Hebr. 12. 2.
Hebr. 13. 9.
D. Thom. in c. 13. ad Hebr. lect. 2.
Ep. 8. ad Demetria. Virgin.
1. Varietas doctrinæ propria hæreticis.
Ephes. 4. 14.

Vt video tangit Apoſtolus conſilium illud, quo finiit Salomon concionem illam vtiliſſimam totoque orbe clariſſimam: *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilia data ſunt à paſtore vno. His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros, nullus eſt finis.* Quàm luculenter deſcribit doctrinam Cathedræ Eccleſiæ Catholicæ? Stimuli (inquit D. Hieronym.) qui cor pungunt, & calcaribus excitant vt vitijs excedat, ad cœlum tendat; talis enim eſſe debet doctrina doctoris, bonique prædicatoris: *Quæ in ſe habeat aliquid mordacis veritatis*; & illud in concionibus præ oculis habere conuenit propriæ ne ſit laudis aut æſtimationis auidus, ſed audientium corda ad pœnitentiæ lamenta compungere ſatagat prædicator: *Quaſi claui in altum defixi*, quibus aulæa dependent doctrinarum, quibus ornata præfulget Eccleſia; Præfulget inquam ijs, quæ docuit D. Auguſtin. D. Ambroſ. D. Hieron. D. Gregor. D. Thom. D. Bonau. alijque Sancti Patres, tam Græci quam Latini, eorumque ſtabilitur, verbis, ſcriptis, libris. Deinde *Claui in altum defixi*, q. d. firmiter infixi, vſque ad caput profundiùs incuſſi: Talis eſt Sanctorum doctrina, firma, tuta, cui abſque vlla caſus ſuſpicione poſſis inniti: firmiter incuſſa; quia quantumuis conentur hæretici dentibus ſuis ac ingeniorum ſuorum linguarumque detrahentium malleis eam eradicare, ac euellere, nullatenus poterunt. Hæc autem doctrina vnde deducitur? ab vno magiſtro: *Datæ ſunt à magiſtro vno*: nimirum Chriſto, qui de ſe hoc perhibet teſtimonium verum: *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Iam dixit Spiritus S. *Omnis Sapientia à Domino Deo eſt.* Viden' vndè cathedræ procedat veritas? Quia non niſi vnum agnoſcit magiſtrum Chriſtum: licet enim multos videas Cathedraticos, ipſe ſolus Magiſter ille eſt, cuius omnes doctrinam ſequuntur, declarant, proponunt, profitentur, concionantur: *Vnus Magiſter Chriſtus*, & ille, qui eius locum habet ſummus Pontifex, vnicus Magiſter, ex quo illa profluit doctrina, quam omnes Eccleſiæ docent præceptores. Si ſint Doctores, ſi Epiſcopi, ſi Archiepiſcopi, ſi Patriarchæ, omnes in illius iurant verba Magiſtri: *Fili mi:* (monet Salomon) *his amplius ne requiras*: nec enim alibi veritatem inuenies: hæc tibi ſufficiant, quæ te docet Chriſtus, eiuſque vicarius.

Eccl. 12. 11.
D. Hier. Epiſt. 19. ad Euſtoc. Tom. 1.
Eccl. 1. 1.

Aptè propoſito noſtro perpendit D. Chryſoſt. verba Abrahæ, quibus diuiti reſpondit Epuloni, qui ex inferni abyſſis, vbi flammis igneis torquebatur, inſtanter ſupplicabat, mitte-

ret defunctum jam pridem Lazarum fratribus ſuis prædicatorem, qui eis illorum, quæ poſt hanc in altera vita miſera crudelibus auariſque diuitibus occurrunt infauſta, propalet veritatem. Cui Abraham: Nulla ſuppetit ratio: *Habent enim Moyſen & Prophetas*, id eſt, prædicatores, & ſuperiores, & ſuperiores cathedræ inſidentes, præcones veritatis: *Illos audiant.* Fateor, ſic eſt, ô pater mi

Luc. 16, 31. Abraham, at maiorem longè habet efficaciam verbum mortui, qui regreſſus ab inferis illis appareret prædicator. Falleris, fili mi, (inquit Abraham.) *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Opus hic eſt Delio natatore: verba enim ſunt intellectu difficillima, pro vt notat Cardinalis Caietan. ſed quæ ſummo ingenio enucleat D.

Ientac. 5. § 4. Chryſoſtom. Reſponde mihi: vtrum ſit efficacius, verbum Dei, vel alicuius defuncti? Nemo negat, maiori pollere Dei verbum. Quæro igitur, quid credis eſſe verba Moyſi & Prophetarum? Quid arbitraris verbum eſſe ſuperioris, niſi verbum Dei? *Qui vos audit, me audit.*

Luc. 10. 16. Qui ſunt illi mortui, imo & Angeli, niſi Dei famuli? Qui verbis Domini fidem non adhibet num ſerui adhibebit? Ne viſiones, ne apparitiones, ne rationes quæſieris: hæc enim omnia te poſſunt ludificari. Amentiam ſapit dicere, ſi mortuus apparuerit, credent, dicito mihi, diues ſtultiſſime, an ignoras illis in apparitionibus mille poſſe fraudes delitèſcere? An ignoras his viſionibus mille poſſe interuenire dæmonum illuſiones?

Hoc ait, argumentum fuit vatis Iſaiæ, contra quoſdam Pſeudoprophetas, qui vt certi eſſent eorum quæ prædicabant, docebant populum mortuorum peterent apparitiones, vel idola, & Pythones conſulerent. Quando hæc vobis proponent, inquit Iſaias, illos vt hæreticos longiùs abigite, & vt errorum magiſtros repellite: *Cum dixerint ad vos: quærite à Pythonibus, & à Diuinis, &c. Numquid non populus à Deo ſuo*

Iſai. c. 8. 19. *requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Verba diuina. Non reliquit Dominus populum ſuum omni ſic gubernatore malè deſtitutum: hoc enim quid aliud eſſet, quam innumeris illum exponere erroribus. Quid enim (inquit D. Chryſoſtom.) incantatoribus, ac præſtigiatoribus

(a) Hombres de magina. (a) & ingenij ſubtilioris quàm commouere viſiones & ſomnia, quæ veræ cenſeantur eſſe apparitiones? *Peruerſa dogmata diabolus inuexiſſet: potuiſſet enim frequenter oſtendere ſimulachra, ac ſubornare, qui ſimularent mortem & ſepulturam, mox rurſus ſe oſtenderent, quaſi à mortuis excitatos, ac per illos perſuadere, quæcumque vellent. Etenim ſi nunc inſomnia frequenter dormientibus viſa, multos deceperunt, &c.* Quaſi nouum eſſet hæreticis talibus ludere inuentionibus. Illos abige: radix enim ſunt errorum. *Ad legem magis, & ad teſtimonium.* Noſſe deſideras veritatem? Illum conſule, qui in cathedra præſidet, qui legem explicat & in quo Deus loquitur, qui verò aliud quæſierit: *Non erit ei lux matutina*, ſed tenebræ nocturnæ. Hoc intendit ſapientiſſimus ille prædicator: *His, fili mi, amplius ne requiras.* O Luthere perduellis, cui non ſufficit doctrina Papæ, ſed viſiones, inuentiones meditaris, aliaſque varias ac peregrinas conſulis ſententias. O Caluine fœdifrage, vt quid non acquieſcis doctrinæ Cathedræ Chriſti, in qua Pontifex reſidet? Peribis infelix, miſereque deluſus: *Non erit eis lux matutina.* Ne aliud quæras, quod ſi quæſieris, multam inuenies varietatem; ſi enim homines fræna ſuis laxent ingenijs non ſufficiet charta ſcribendis eorum argumentis, nænijs, capſodijs: *Faciendi plures libros nullus eſt finis. Tu verò fili mi, his amplius, ne requiras*, doctrinam aliam, aliam linguam, alia argumenta: *Obſecro vos, fratres; vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata,* 1. Cor. 1. 10.
Hortatur Apoſtolus Vna ſit fides veſtra, veſtra confeſſio imo & verba: *Idipſum dicatis*, vt nedum idem omnes dicatis, ſed in principalibus, omnia dicatis, quantum fieri poteſt, iiſdem omnino verbis.

D. Chry. Hom. 4. de Lazaro, ... Luc. Tim. 1.

**§. 12. *Conſeruat vnitas doctrinæ, vnitatem idiomatis, in quo errauit Iudas, & hanc Romani ad ſuæ conſeruationem Reipublicæ procurarunt.***

QVantum capio, alludit Apoſtolus ad quod ſubtiliter notarunt D. Chryſoſtom. Hieronym. Eutymius, Beda & alij ſupremæ nocte cœnæ contigiſſe. Dicit Dominus Ieſus Chriſtus, aſſidens menſæ. *Amen amen dico: quia vnus veſtrum me traditurus eſt:* Turbantur, contriſtantur & merito quidem omnes, interrogant ſinguli, quiſque pro ſe: *Numquid ego ſum Domine?* eodem omnes Chriſtum nomine compellantes. *Domine*: Accedit Iudas, & quærit, nec Chriſtum, vt cæteri Dominum vocat, ſed magiſtrum: *Numquid ego ſum* Matth. 26. 25.

*ſum Rabbi?* Auferat te in malam crucem Diabolus, proditor ſceleratiſſime, cur non Chriſtum eodem cum condiſcipulis tuis compellas nomine, cum eiuſdem ſis claſſis diſcipulus? Nemireris (inquiunt Sancti Patres) ex iam non erat, & verborum diuerſitate oſtendebat, ſe non tam diuinè de Chriſto ſentire, ſicut reliqui vndecim: verba quippe ſigna ſunt conceptuum: iam Iudas illum quem de Chriſto habuerat conceptum, quando illum Chriſtus in Apoſtolum elegerat, deperdiderat: opinantur enim D. Hieronym. *a.* D. Cyril. *b.* & D. Chryſoſtom. *c.* dum Chriſtus ſibi ſociauit Iudam in Apoſtolum, eum fuiſſe bonum, quodque poſtmodum ex occaſione denariorum conuerſus ſit in diabolum velut alter Saül. Primùm veram habuit Iudas fidem, credens de Chriſto, quod credere debebat, quam poſtmodum amiſit, & credidit Chriſtum non eſſe Deum, ſed incantatorem ac criclium & arte diabolica, opera illa mirabilia perpetrare. Et hoc Chriſtus intimauit dum D. Petro dicenti: *Nos credimus*, ipſe reſpondit: *Nonne ego, vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt?* Fidei paſſus eſt naufragium, excidit ex eo quod cum aliis prius crediderat, quocirca non eodem cum illis locutus eſt idiomate: *Obſecro: vt id ipſum dicatis omnes.* Plures inuenies, qui tractantes fidei noſtræ myſteria, ac ſacram Theologiam, noua cupiunt introducere idiomata, nouos loquendi terminos, ab antiquis Patribus diſcrepantes, & præter morem, quo Sancti Catholici vtuntur Patres, dicentes ſe non nouam doctrinam velle introducere, ſed nouos loquendi terminos. O chariſſime, quàm ſapit hoc hæreſim, & te inflat ſuperbia, quâ tu ceteris aues ſuperextollere ingenij ſubtilitatem, & dum ab aliis in terminis differs loquendi, vereor ne pariter ab aliis diſſenties in fide & doctrina.

Olim in Concilio Sardicenſi, prædicante Triphilio Epiſcopo Ledrenſi, viro, quem D. Hieronym. *a.* laudat vt doctum ac eloquentem & Sozomen. *b.* ac Nycephorus. *c.* vt Sanctum, quem ita is. *d.* recenſetur *e.* dum expendit hiſtoriam relatam à D. Ioanne de paralytico apud piſcinam, cui hoc Chriſtus præcepit: *f. Tolle grabatum tuum & ambula.* Hoc eo referente, quod dixit Chriſtus: *Tolle lectum tuum:* in eum inſurrexit celebris ille Epiſcopus Spiridion, quem alij Eſpiridion, (cuius vitam deſcribit Surius.) *g.* ac publicè eum redarguit coram toto Concilio, quia termi-

a Lib. 3. contra Pelag. & in cap. 10. Ezech. b Lib. 4. in Ioan. cap. 30. c Ho. 10. de pœnit. Ioan. 6. 71. a Lib. de ſcriptorib. Eccl. & Epiſt. ad Magnum. b Li. 1. c. hiſtor. c. 10. c Lib. 8. cap. 42. d Martyrologio 13. Iunij. e Vide Baron. 13. Iunij. f Ioan. c. 5. 8. g To. 6. 12. Dec.

num: *Grabatum* mutaret in *Lectum*; aitque illi: *Numquid tu doctior es illo, qui dixit; Tolle grabatum tuum?* Hæc enim vnitas eſt Cathedræ, vt etiam eadem ſeruentur in loquendo verba. Spectat hic Apoſtolus id, quod de Romanorum refert prudentia D. Auguſtinus. Facti rerum Domini Romani, ſubactis cunctis regionibus, ac ſuo ſubiectis imperio, vt hoc ſartum tectumque ſeruaretur & ab hoc vno cunctæ regerentur ſecuriùs prouinciæ, ſtuduerunt omnibus ſuam propriam linguam dare nationibus, ita vt omnes Romana, id eſt, latina lingua loquerentur, qua ratione, latinas effecerunt Prouincias Hiſpaniam, Franciam antiqua idiomata exterminantes, ſolam autem Romanam linguam introducentes, quâ cuncti ſe Romano ſubiectos eſſe profiterentur imperio. Hoc idem Chriſtus decreuit in ipſa Roma, vt vbi temporalis imperij caput reſidebat, & ſpiritualis pariter gubernaret, ibi Petri ſedem fixit ipſi, eiuſque ſucceſſoribus: & ob hoc ſtatuit, vt ex inde lingua procedat eadem in cunctas terrarum nationes, vt ex Petri cathedra doctrina defluat tam vna, vt vnum omnes dicamus *Credo*, vnam faciamus fidei confeſſionem imo: *Vt id ipſum dicamus omnes.*

Mirabile factum contigit tempore D. Hieronymi; ſupponit ipſe S. Doctor morem antiquiſſimum ac vniverſalem Eccleſiæ, nimirum quòd ex omnibus partibus, ac remotiſſimis orbis regionibus cuncti Romam concurrerent, vt Romano Pontifici ſuas proponerent exponendas quæſtiones. Occaſione huius refert ipſe teſtis ocularis (ecce qualis teſtis ſynodalis, & omni exceptione maior;) & dicit quòd quia familiaris erat Pontifici D. Damaſo, ei vt ſecretarius deſeruierit, vt illi auxilio eſſet in ſoluendis variis multiſque conſultationibus, quibus ab omnibus Epiſcopis, Synodis, Conciliis, & totius orbis congregationibus grauabatur; vt eis reſponderet: *Ante annos plurimos, cum in chartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum, Romanæ vrbis Epiſcopum & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem.* Hic fuſiùs excurrit, (a) Epiſcopus Reatinus, aitque: *Audis quod ex toto orbe, & ab omnibus Synodis ad conſulendum Apoſtolicam Romanam fidem mittebatur.* Diſceſſit demum D. Hieronymus Roma, ad remotiſſimas partes Orientis, in quibus & grauiſſimas offendit altercationes, circa formam modumque loquendi in myſterio Sanctiſſimæ

Lib. 19. de ciuit. Dei. c. 7. 1. Cor. 1. 24 D. Hier. Epiſt. 11. ad Geruntium & 17. ad Euſtoch. (a) abargo el dicho

Trinitatis, an in ea concedendæ eſſent tres hypoſtaſes, &c. Ita vt ipſa diſputatio magis de formula loquendi, quàm de rei ſubſtantia eſſe videretur. Aduer ens D. Hieronymus diſcordiam ac dubium, quoſdam hoc modo, alios alio loquentes propoſuit ilico recurrere ad ſedem Apoſtolicam Romanam, ſcilicet ad ipſum Damaſum, cui ſcribens ſupplicat, vt dubium explicet, loquendi doceat formulam, & quid fidei tenendum ſit, Apoſtolica declaret auctoritate: *Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus indeciſſam Domini tunicam, & deſuper contextam minutatim per fruſta diſcerpit, &c. Et Chriſti vineam exterminant vulpes, &c. Ideo mihi cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam.* Loco remotiſſimo diſſitus vino Pater Sanctiſſime: verumtamen alia nulla eſt veritatis officina, nulla in terris Cathedra infallibilis, ad quam mihi liceat confugere, vt mihi ſit ſubſidio. Iam me docuit ipſa veritas Chriſtus: *Vbicumque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquar. Ego nulli primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt; Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit, &c. Qui tecum non colligit, ſpargit &c.* Sicque conſequenter eminentiſſimis rationibus argumentum proſequitur, petitque ab eo poſſe edoceri: Sanctiſſime Pater: *Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, & à paſtore præſidium ouis flagito.* Quid poſtulas, Doctor ſanctiſſime, tibi definiat, determinet? Quibus terminis mihi in hac difficillima quæſtione fidei ſit vtendum. *Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi ſalutem, vt mihi epiſtolis tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.* Bone Deus? Quis credat, Doctorem Eccleſiæ eximium, toto terrarum orbe notiſſimum pro illa quæſtione enodanda confugere ad Pontificem? An non tu ille Doctor, quem Eccleſia honorat: *Doctorem maximum*, in ſacris literis exponendis? Litteras requiris à ſummo Pontifice, vt in illis tibi aut dicat aut ſcribat, quibus ſit tibi terminis loquendum? An tibi ignota ſunt profundiſſima fidei myſteria? Quid in verbis hæres, qui tantâ polles ſcientiâ ſcripturarum? Licebit hic videre doctrinæ Eccleſiæ vnitatem, nedum in iis, quæ fidelibus credenda proponuntur, ſed etiam in ipſis verbis: illorum enim diſſonantia, ſententiarum ſolet inuehere diſcrepantiam; pro more ſimiliter habent hæretici ſub cortice verborum, miſcere, & venenum abſcondere hæreſcos: *Non ſufficit ſenſus. Neſcio quid veneni in ſyllabis latet*; Vt modus loquendi ſit omnino ſecurus, conuenit, vt nobis illum præſcribat ſuo ore compoſitum caput Eccleſiæ Pontifex Romanus, cui Deus ſuggerit, quæ ſint nobis verba aut tacenda, aut dicenda, vt in omnibus tuti incedamus. Addit autem D. Hieronym. hyperbolem ſuo ſpiritu dignam Catholico: Sanctiſſime Pater, ad te confugio, te conſulo: *Diſcernite ſi placet, obſecro: Non timebo tres hypoſtaſes dicere; Si iubetis condatur noua, poſt Nicænam, fides, & ſimiliter verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi.* Papæ qualis exaggeratio! Nouerat hic Doctor Papam non poſſe errare, proinde ait: profitebor, quidquid me docueris licet ſit Arianis conſentiendum; vt ante dixerat Apoſtolus: *Licet nos aut Angelus de cælo Euangelizet vobis præterquam, quod euangelizauimus vobis, Anathema ſit.* Non quòd poſſibile credamus, Angelum aliud dicere, ſed vt oſtendat, quanta conſtantia tibi ſit Eccleſiæ definitionibus adhærendum. Hyperbole eſt, qua ab exordio Eccleſiæ Sanctorum Patrum vſa eſt fides orthodoxa. Extollit D. Irenæus Martyr contemporaneus D. Polycarpo, diſcipulo D. Ioannis ſententiam D. Iuſtini martyris: *Præclarè dicit Iuſtinus in libro quem ſcripſit contra Marcionem, ne ipſi quidem Domino fidem adhibiturum, ſi alium Deum ei denuntiaret.* Hanc refert ſententiam Euſeb. D. Clemens Papa dicit hanc fuiſſe propoſitionem Apoſtoli Petri contra Simonem magum diſputantis. Hoc igitur eſt, quod ſcribit D. Damaſo D. Hieronymus. Quia verò differebat Pontifex huic conſultationi reſpondere, aliam illi D. Hieronymus deſtinat Epiſtolam, rogans, ne indignetur ob tantam eius importunitatem, eo quod ipſe ſe dicat ſimilem illi, qui media nocte panem venit mendicaturus ab eo, quem ſibi poſſe dare ſciebat. Beatiſſime Pater, tres hic ſunt particulares loquendi formulæ, Meletij, Vitalis & Paulini, Quiſque ſecum vult conſentiam; hoc autem ego reſpondeo, *Siquis cathedræ Petri iungitur, meus eſt.* Proinde ad genua tua beatiſſime Pater prouolutus obteſtor: modum mihi loquendi diſcerne vt ſecurus loquar: licet enim parui videatur vnum verbum, hoc tamen grauiſſimi poteſt eſſe erroris occaſio: *Non ſufficit ſenſus, nomen efflagitant.* Petitio prudentiſſima: in ore quippe Romani Pontificis ſua Deus verba

I. D. Hieronymus in dubiis Summum conſulit Pontificem.

D. Hier. Epiſt. 57. & 58. ad Damaſ. Tom. 2.

Gal. 1. 8.

Lib. 3. contra Hæreſ. cap. 14.

lib. 4. hiſtor. Eccl. c. 17. lib. Recognitio. Epiſt. 59. ad Damaſum.

ba

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſa ponit, cui illa apprimè conueniunt, quæ per Iſaiam promiſerat: *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodo, & vſque in ſempiternum.* Præclariſſima verba, notatu digniſſima.

Iſai.c.59. 21.

### §. 13. *Sumitur quoque Cathedræ vnitas, ex vnitate Sacramentorum, quæ eadem ſunt, licet miniſtri ſint diuerſi.*

25 TErtiam vobis aſſigno rationem vnitatis cathedræ, quam ponit D. Paulus, nimirum, vnitatem Sacramentorum: *Vnum Baptiſma.* Omnes natiuitate naſcimur ſpirituali, eodem baptiſmo regenerati, eodem omnino modo impertito, iiſdem verbis eadem virtute: Omnes nos roboramur, ac confirmamur, eodem confirmationis Sacramento; omnes eodem vitæ paſcimur alimento: *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane* &c. ait Apoſtolus: licet Petrus baptizet, Paulus baptizet, alij baptizent, vnum eſt baptiſma: quia vnus eſt qui primariò baptizat, Chriſtus, de quo dicitur: *Hic eſt, qui baptizat.* De quo perdoctè D. Auguſtinus. Supponens, quod ad vnitatis conſeruationem, & virtutem Sacramentorum voluerit Chriſtus ipſe manere vt eorum principalis inſtitutor, vt nullus nobis perſuaderet, eſſe plures eorum auctores, ex multitudine miniſtrorum, nec in illis virtutis defectum ſuſpicaremur, illam ſupplente multitudine miniſtrorum. Expendit D. Auguſtinus verba dicta D. Ioannis Baptiſtæ: *Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat.* Addit D. Auguſtinus propterea hanc & viſionem factam, & vocem de cœlo auditam: *Vt quamuis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue iuſti, ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi, ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: Hic eſt qui baptizat in Spiritu S. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat, Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat.* Idem notat D. Chryſoſtomus de venerabili Sacramento ac miſſæ ſacrificio: *Verum tu Laice, cum Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem putes, hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam, Sicut enim cum baptizaris* &c.

1.Cor.10. 17. Ioan.1.33. D. Aug. Tract.6. in Ioan. Tom.9. Ioan.1.33. D.Chry. Hom.60. ad popu. Tom.5.

Quocirca peruerſus licet ſit Sacerdos, qui miſſam celebrat, idem eſt ſacrificium, quod offert qui bonus eſt, & in ſe eiuſdem virtutis ac valoris: quia non virtute propria, ſed Dei, concurrit & operatur Sacerdos, & quantum ad naturam Sacramenti, ita concurrit ac interuenit, quamuis Sacerdos malitia dæmonem vinceret, ſicut quando Angelo non cedit vitæ meritis, morumque bonitate.

Vt verò nos Deus in hac confirmet veritate, quibuſdam vtitur verbis myſterioſis, dum Moyſen & Aaron mittit ad Pharaónem, vt dimittat populum Iſrael de terra Ægypti, quem captum iniuſta ſeruitute opprimebat. Accedunt illi Pharaónem. Dei mandata exponunt: Deus Hebræorum miſit nos ad te dicens; dimitte populum meum, vſquequo detines populum meum? Reſpondet Pharao ſuperbus ac inflatus: *Neſcio Dominum & Iſrael non dimittam.* Reuertuntur hac audita reſponſione ad Dominum: Domine, non te nouit Pharao: Non? faciam ergo vt me cognoſcat: præcipit illis, ad Pharaónem reuertantur, patrentque prodigium illud horrendum: conuertant virgas ſuas in ſerpentes, & ſerpentes denuo in virgas. Surdo canunt: Reuertere denuo, ait Dominus, mane, &: *Ecce egredietur ad aquas & ſtabis in occurſum eius ſuper ripam fluminis, & virgam quæ conuerſa eſt in draconem tolles in manu tua: diceſque ad eum. Hæc dicit Dominus, in hoc ſcies, quod ſim Dominus: Ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem.* Potentiſſime Deus, quomodo hoc dicis? Num forte tibi ſunt manus, quibus virgam teneas? Virgam iſtam non videt Pharao etiam ſe, quomodo ſit in manu Moyſi, modò Aarónis? qua igitur ratione dicis, quòd illam manu tua habeas, tuque ille ſis futurus, qui aquam hac virgâ percuties, cum ſit Aaron, qui illa, præſente Pharaóne, fluminis vndas percutiet? An ergo ignoras manibus Moyſi & Aarónis, meam eſſe coniunctam, & eam illam ipſam eſſe cuius virtute manus Moyſi & Aarónis tanta prodigia operantur: ita vt, quæ vides mirabilia, quæ illorum manus operantur, in tantum ab illis fiant, in quantum cum illis mea concurrit manus mirabilium operatrix. In his manibus Moyſi & Aaronis, quas vides, ſupremam meam agnoſcito, quam non vides, & quidquid videris ab illis boni procedere, ne illorum aſcribas manibus, ſed huic meæ omnipotenti. Notat hoc ſubtiliter D. Gregorius verba illa Moyſi expendens, quibus de tranſitu filiorum Iſrael per mare rubrum, ſicco veſtigio, ac demerſo Pharaóne io Triumphe Deo concinebat: *Quis ſimilis tui in fortibus Domine, quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mi-*

Exod.5. 2. Exod.7. 15. Exod.7. 17. I. Allegoria. In c.14. 1.Reg. Exo.15. 11.

rabi-

*rabilia*? Sequitur D. Gregor. lectionem Septuaginta, quam expendit Origenes: *Quis ſimilis tui in Diis Domine, quis ſimilis tui in ſanctis glorioſus?* Bone Deus, & quis tali vnquam ſeruos ſuos honore dignatur, quis ſic reddit glorioſos? illos tanto Domine honore extollis, vt eorum operâ, ſtupenda patres mirabilia, & opereris ſanctitatem. In duobus ſuam Dominus manifeſtat omnipotentiam.

26 Primum: in eo quod tam ſtupenda erant prodigia, vt totus mundus hæreret attonitus. Alterum: quòd animas ſanctificaret & iuſtificaret. Ambo hæc propria ſunt Dei brachio cunctipotenti: quia prima, cum omnem ſuperent creatæ naturæ facultatem, is ea ſolus efficere poteſt, qui ſupra naturæ vires, pollet poteſtate; hic verò ſolus eſt Deus. Altera ſunt illi magis propria, quæ omnem excedant potentiam naturalem, quæ ex ſola Dei gratia procedunt, proinde quod noſtra habet lectio: *Magnificus in ſanctitate*, legit Card. Caietans ex vi Hebraici textus: *Robuſtus in ſanctitate*, vel *firmamentum ſanctitatis*. Significans, ſanctitatem, ita proprium effectum diuinæ eſſe potentiæ, eiuſque gratiæ, vt quidquid in hoc fecerit effectum eius illa fundamentum ſit, radix, ac firmamentum: quia ex illa in fieri & conſeruari pendet vera ſanctitas. Hæc duo diuiſit Dominus, quia prodigia illa ſtupenda, coram omnibus facta, populo illi antiquo præſtitit. Quis enarret mirabilia, quæ coram illis patrauit miracula. Omiſſis illis, quæ patrauit in Ægypto, vt illum Pharaônica eriperet ſeruitute, demum modò diuidit mare medium, ſiccum explicans iter, floribuſque intertextum, vt *Campus germinans*, vt aperto tempore Aprilis: modo fluctibus demergit numeroſiſſimum militum Pharaônis exercitum quos omnes ad littus eiectos viderunt Iſraelitæ: *Viderunt Ægyptij manus*: modò ad virgæ percuſſionem educit aquam de petra, modò pluit è cœlo cibum Angelorum, modò coturnices in

(a) Abundadas. abundantia: (a), &c. Opera verò ſanctitatis, quæ ex diuina profluunt gratia, populo reſeruauit Chriſtiano, de quo dixit Iſaias: *Vocabunt eos populus ſanctus, redempti à Domino Deo*

Iſa. 62. 11. *noſtro*. Dum vetera illa operatur mirabilia, miniſterio vtitur hominum Moyſi, Aarônis, Ioſue Samuelis &c. Vt autem opera exequatur ſanctitatis, opera ſimiliter ſuorum vtitur Apo-

1. Cor. 4. 1. ſtolorum, Superiorum, Paſtorum: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Antiqua illa miranda perficiens,

II. Miracula licet hominum manibus vteretur, quos ad hæc elegit, non illi tamen erant, qui propria hæc virtute exequebantur, ſed Deus auctor eorum erat magis principalis, cuius manus horum omnium præcipua primaque creditur operatrix: *Quidquid virtutis Moyſes oſtendere potuit* (inquit D. Gregor.) *Dominus ipſe fecit, non enim Moyſes populo per deſerta gradienti, ſed Dominus manna pluit. Non Moyſes, ſed verbum quod factum eſt ad eum, aquam de rupe produxit. Non Moyſes, ſed Dominus volatilia concupiſcentibus exhibuit, vnde Dominus Iudæos in Patrum fortitudine glorantibus reprimit dicens, non Moyſes, ſed Pater meus dedit vobis panem de cœlo.* D. Greg.

Inſuper ea de cauſa Dauid, qui diuinis ſuprema hæc verſibus mirabilia celebrauit, Deo illa adſcribit abſolutè: *Hinc pſalmiſta, non Moyſen mirabiliter efferens, ſed Dominum laudabiliter extollens, dicit. Fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos; interrupit mare, & perduxit eos &c. Et perduxit eos in nube diei &c. Et eduxit aquam de petra &c. Et mandauit nubibus deſuper &c. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes.* ita vt in operibus illis mirabilibus prima ac principalis eſſet operatoria, Dei virtus manuſque magnifica, & ſicut hæc vna eſt, omnia hæc, vna eademque virtute ac potentia agebantur. Sint prima quatuor mirabilia, quæ facta nouimus in Ægypto per manum Aarônis; ſint quatuor illa poſtrema, quæ legimus à Moyſe peracta, ſint illa magnifica, quæ per annia deſerti ſcimus eſſe perpetrata, ſit illud quòd duce Ioſue, diuiſus ſit Iordanis, dum iam fluuius ripas aluei impleuerat, quando ſol curſum ſuum detinuit, & ſpatio vnius diei occumbere non feſtinauit, ſint horrenda illa tonitrua Samuelis, reſurrectio pueruli, per Eliam prophetam, ac ignis de cœlo deſcenſus: ſit & altera diuiſio Iordanis percutiente aquas Eliæ pallio, propheta Eliſeo, aliaque tam magnifica, quam terribilia prodigia, cuncta hæc vna eademque diuina fiebant virtute, quâ illi talia, quos ſibi miniſtros elegerat, operabantur. Idem quoque velim tibi perſuadeas, de magnificis operibus ſanctitatis, ſiue de illis, quæ ad animarum ſanctitatem per diuerſos miniſtros in nouo operatur teſtamento, quorum miniſterio in adminiſtratione Sacramentorum efficit iuſtificationem, quâ ſanctificat animas. Hæc ſibi propria non efficiunt miniſtri virtute ac manuum poteſtate, ſed Dei virtute, cuius aſſumuntur miniſtri, alioquin ad hæc impotentes: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Ne illos intuearis ſecundùm propriarum qualitates perſonarum: ne conſideres

vnum

» vnum eſſe nobilem, plebeium alterum, hunc ſan-
» ctum, illum peccatorem, vnum ex hac, ex alia
» alterum progenitum regione, ſed ſecundum
» quod ſum miniſtri, ab Eccleſia conſecrati: *Quid*
» *Petrus? quid Paulus? quid Apoſtoli? miniſtri eius cui* 1.Cor. 3.v.5.
» *credidiſtis?* Omnes ſunt miniſtri Dei, vt tales o-
» perantur, & quia tales tanta operantur virtute,
» operatur vnus ſicut alter, in quantum ſunt a-
» ctiones miniſtrales, ſeu talis miniſterij; ita vt ea-
» dem omnes operentur virtute, quæ vna eſt diui-
» næ potentiæ, quocirca idem eſt Sacramentum,
» quod malus Sacerdos adminiſtrat, & quod bo-
» nus; idem baptiſma, quod confert obſtetrix, quæ
» feſtinanter, & neceſſitate coacta baptizat pueru-
» lum periclitantem, & quod ipſe Paſtor, imò i-
» dem foret, quod daret gentilis, Maurus ſeu hæ-
» reticus, modò illud conferret intendendo id
» quod intendit Eccleſia, & vtendo materia & for-
» ma, tali debita ſacramento. Ratione huius largus
» nobis varijs tractatibus campus aperitur, ſed in
» capite viæ ſiſtendum.

**§.14.** ***Soli in Cathedra ſedere debent ſuperiores & ſacerdotes, coram quibus erecti in pedes ſtare debent Laici, licet quis ſit Ioſue Princeps, aut Imperatrix Euſebia, imo & ipſe D. Hieronymus.***

☞ 27 IN hac Cathedra, quis docet? *Sederunt Scribæ & Phariſæi.* Doctores particulares. Euertit hîc Chriſtus omnes hæreſes: ſciebat enim, quòd in Eccleſia ſua exurgerent, nominatim verò noſtra hac tempeſtate hæretici, qui docerent, non neceſſe eſſe inquirere præceptores; omnes tales eſſe; cunctos eſſe Sacerdotes, & nullum in Dei Eccleſia inter hunc & illum dari diſcrimen. O mente deliri! An ignoratis, quòd ad Dei doctrinam profitendam, ipſe velit aſſumi doctores particulares, ad quos confugiat populus, velut ad Magiſtros à quibus pleniùs de omnibus inſtruatur: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* (Malach. 2.7.) De his dicitur, quòd in Cathedra ſedeant, quaſi qui hoc ipſo oſtendant, quòd docendi vigeant poteſtate, quam ceteri non habent, nobiles licet ſint, diuites, honorati, & quotquot inter ſæculares numerantur, quos antiqua Patrum vocat auctoritas: *Stantes*, qui illos Prælatis ac Sacerdotibus opponunt; qui dicuntur *Sedentes*. (1.Cor. 4.) Hoc omnibus luce clarius patet in illa præclara hiſtoria, quæ tempor bus accidit D. Cypriani, quibus orta eſt illa quæſtio, qua ratione Epiſcopi, Sacerdotes, ac Confeſſarij ſe gererent cum Chriſtianis, qui vi tormentorum ſuperati, Chriſti fidem eiurauerant: quidam enim cenſebant, eos confeſtim abſoluendos, reconciliandos atque ad Sacram Synaxim admittendos: alij contra ſentiebant rem non feſtinandam, ſed diutiùs differendam. De hac quæſtione ſcripſit D. Cyprianus ſuam addens opinionem, cui (Epiſt.3. Ad presbyteros & Diaconos Romanos.) illi perdoctè reſcripſerunt, quæ eſt tertia inter D. Cypriani epiſtolas, quâ gratis illi pro impenſo fauore, peractis, reſpondebant, ſupponentes, quòd ipſi vt Sacerdotes Romani, quorum fides per totum orbem reſonabat, ac prædicabatur iuxta illud ijſdem ſcriptum Apoſtoli; *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo*, (Rom.1. 8.) particulari ſolicitudine intendere deberent, rebus fidei negotijſq; Eccleſiæ. Addunt ſe difficulter de his poſſe concludere certò atque indubitanter, cum ob martyrio iam pridem affectum D. Fabianum Romanum Pontificem, ſedes modo vacaret, nec vllus eſſet ſucceſſor electus: *Quamquam nobis differendæ huius rei neceſſitas maior incumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus, propter rerum & têporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur & eorum qui lapſi ſunt, poſſit cum auctoritate & conſilio habere rationem.* Maximè hanc admiror doctrinam, cuius modò non vacat explicare myſteria. Dicunt tertiò: quòd conſilium eius ſuſceperant, doctrinam ſequentes quam literis ſuis D. Cyprianus inſeruerat, quòd ille, qui ex mentis infirmitate ceciderat, Chriſtumq; vi tormentorum adactus negauerat, ad ſui reparationem ad Epiſcopos, ſacerdotes, & Confeſſarios accurreret abſoluendus, qui omnes ſimul conuenirent nec leuiter cauſam definirent, ſed maturo prouidoque conſilio, ſedente Epiſcopo cum Sacerdotibus ac confeſſarijs, cõſilium ſalutare meditaretur: *Stantibus Laicis*: illis enim conuenit audire, obedire, doctrinam ſequi eius, qui in ſignum quòd ſit omnium Magiſter, ſedet. Confer modò illud Laicorum *Stantes*, cum illo Prælatorum *Sedentes*, in cathedris.

» Hanc ſequitur rationem D. Auguſt. illa verba David explanans: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.* (In pſ. 50. Pſ. 50.10.) Ex quo ſumpſiſſe videtur D. Bernard. (Ser.3. in illud Vidi Dominum.) Nulli dubium eſt (inquit) quin Prælati, & Eccleſiæ Doctores in ea ſedere oporteat docendo, & ſæculares ſtare audiendo: quia ſicut ſeſſio, indicium eſt auctoritatis, ſic & ſtatio, humilitatis & reuerentiæ; illis quippe verbis declarabat Regina Saba, reuerentiam quâ coram Salomone ſerui adſtabant eius ſapientiam audituri, quos »

3.Reg. 10.8. quos proinde beatos canonizat: *Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper.* Ac iiſdem verbis, inquit D. Bernard. declarat Iſaias Dei maieſtatem: Iſai. 6.1. *Vidi Dominum ſedentem, ſuper ſolium excelſũ &c. Et Seraphim ſtabant ſuper illud.* Docendi quippe cœleſtia myſteria auctoritas, nec eſt, nec eſſe poteſt in omnibus, nec conuenit omnes eam habere ad altiſſimæ fidei noſtræ declaranda ſacramenta ſicut blaſphemus docebat Lutherus, eiuſque doctrinæ æmuli, ſed Prælatos Doctores ac magiſtros ex Eccleſiæ auctoritate conſtitutos. Quod attinet ad ſæculares, licet Principes ſint ſereniſſimi, competit iis ſtare, non quoad corporis ſitum, ſed animæ demiſſionem ac reuerentiam, quam ſtatio deſignat corporalis. Ecce, inquiunt ambo hi SS. Patres, quàm nobis hoc dilucidè declarauit qui ob vitæ præclara merita, vt Meſſias colebatur, Ioannes Baptiſta. Adierunt illum Sacerdotes ac Doctores, Meſſiæ illi oblaturi dignitatem, morum eius ducti ſanctitate quam in eo venerabantur. Acriter tentata fuit in hoc Ioannis humilitas cum eius offerrent liberæ voluntati Meſſiæ ſeu Chriſti dignitatem. Quid ille reſpondit? Fallimini amici, à ſcopo aberraſtis chariſſimi: *Non ſum ego Chriſtus*, ſponſus Eccleſiæ legitimus, ſed amicus ſponſi, qui ſtans erectus audio eius verba: Ioan. 3. 29. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autẽ ſponſi ſtat & audit illũ & gaudio gaudet.* Quid putares Ioannem dicere voluiſſe, obtulerunt ei Meſſiæ dignitatem, ac ſupremi Magiſtri Cathedram, vt in ea Doctor reſideret. Hoc minimè, inquit Ioannes, ipſe eſt Magiſter, eius eſt auctoritas, ac ſuperioritas, & vt talis, ipſe eſt, cui in ea ſedere competit: ego verò tantum eius me diſcipulum eſſe profiteor, ab ipſo inſtruendus ſum, proinde me decet ſtare coram eo, hoc eſt, omni humilitate ac reuerentia, ipſum vt magiſtrum me docentem auſcultando.

Notate verba (monet D. Auguſtin.) *Amicus autem ſponſi ſtat & audit, ſtantem ſe facit & audientem*, Attende quid ſubiungat: *In hoc gaudium meum impletum eſt.* q. d. Hoc mihi proprium eſt, nec habeo quod plus prætendam, quàm eius eſſe me auditorem, illum vt præceptorem agnoſcere, me vt eius diſcipulum profiteri: *In hoc gaudium meum impletum eſt.* Talem oportet eſſe ſæcularem quantumlibet ſibi ſapiens eſſe videatur, in hoc gaudere debet, ſibique congratulari ſe diſcipulum eſſe Prælati, ac præceptoris Eccleſiaſtici, nec præſumere ſibi in illum magiſterium, cuius illi tantum conceſſum eſt, Eccl. c. 6.35. eſſe auditorem: *In multitudine presbyterorum prudentium ſta,* (præcipit Spiritus S.) *Et Sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te.* Salutiferis redundant hæc verba documẽtis. Primum: vt erectus ſtes in pedes coram Sacerdotibus, hoc eſt magiſtris Eccleſiæ omni cum humilitate & reuerentia illos audiens, & in hoc illos conſiderans vt ſuperiores. Secundum: vt nedum intellectum tuum diſponas eorum doctrinæ capiendæ, ſed & cor ac voluntatem ad illam diligendam: *Sapientiæ eorum ex corde coniungere.* q. d. ne illos animo commoto acceſſeris, ſed pia quadam affectione, illos vt animæ tuæ parentes attendens: *Ex corde coniungere.* Tertium: vt illos habeas, tanquam qui Deum ipſum repræſentent, tibi perſuadens, credenſque firmiter, verba quæ dixerint, doctrinam, quam profitentur magis eſſe Dei, quàm ipſorum: *Vt omnem narrationem Dei poſſis audire.* De hoc Deo gratias agebat D. Paul. *Quoniam* 1.Th. 2.13. *cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei.* Quartum: vt facias ea quæ tibi dixerint, ordinauerint, præceperint: hoc enim non eſt diſponere in propria perſona, ſed ipſius Dei.

*Prouerbia laudis non effugiant à te*, quod concinit illi, quod Chriſtus hic nos docet, cum enim dixiſſet: præceptores ac doctores illos eſſe, qui in cathedris reſident, infert: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite.* Eſt hoc autem præceptum conueniens illi, quod Chriſtus diſpoſuerat, quando Moyſes morti proximus Deum rogauit, quandoquidem iam ætate deficeret, ſibi Dominus alium ſubſtitueret & in Ducem ac populi gubernatorem: *Prouideat Dominus, &c.* Reſpondit illi Deus: perplacet mihi: *Tolle Ioſue filium Nun, virum in quo eſt Spi-* Num. 27. 18. *ritus, qui ſtabit coram Eleazaro Sacerdote, &c. ad verbum eius egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſraël, cum eo.* Domine, ſi Ioſue Princeps vir ſit tuo plenus ſpiritu, qui eum dirigit ac gubernat: *Vir in quo eſt Spiritus* vt quid eum ſtare oportet coram Summo Sacerdote, illum vt audiat, ex ore eius inſtruatur, mandata peragenda recipiat, omniſque illi populus obtemperet? Vt ſignificet, proprium eſſe ſummo Sacerdoti, Doctoribus ac Magiſtris, ceteros erudire, ſupremi licet ſint Reges ac Principes ſereniſſimi, & in huius præſtationem auctoritatis, his incumbere ſtare coram illis auditores, illos verò ſedere præceptores: *Stabit coram, &c.*

Propoſito noſtro congruè perpendit Bozius 28
plures

Socius. L.3. de ſigno Eccl. ſigno 86.

plures hiſtorias: nominatim autem illam quam refert Suidas de Sanctiſſimo Epiſcopo Leontio. Rogauit illum Imperatrix Euſebia coniux Conſtantij Imperatoris, vt eũ viſitaret, habebat enim illi quædam maioris momenti communicanda. Cui ille reſpondit: *Si me vis ad te venire, ſerua mihi reuerentiam Epiſcopis conuenientem, vt ingrediar quidem ego, tu autem mox è celſo tuo ſolio deſcendens, cum pudore mihi occurras: deinde ſedeam quidem ego, tu autem ſtes reuerenter, nec ſedeas donec ſigno iubeam. Si his parere vis, viſam te: ſin minus ſcito, te non obtenturam, vt nos honorem Epiſcopis debitum perdamus, & in diuinum Sacerdotum ius ſimus iniurij.* Singula perpende quæſo verba, præſertim vltima: Iniuriam ſcilicet Sacerdotum irrogare dignitati, qui eam minori excipit reuerentia: *In Diuinum Sacerdotum ius ſimus iniurij.*

D. Hier. Epiſt. 1. ad Heliodorũ Tom. 1.

Hanc autem cenſeo ſummam omnium eſſe rationem quam D. Hieronymus exarat, vbi agens de debito Sacerdotibus honore, dicit & proteſtatur, non auſum fuiſſe ſe coram Sacerdote aſſidere. Supponit primo Sacerdotalem celſitudinem ac dignitatem, & de Sacerdotibus: ait Qui *Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos, & nos Chriſtiani ſumus, qui claues regni cœlorum habent, quadam modo ante iudicij diem iudicant, qui ſponſam Domini ſacra caſtitate conſeruant.* In quibus, vt eius notat Scholiaſtes quatuor ſunt ab eo dicta, quæ directè contra noſtri temporis militant hæreticos. Primum: Epiſcopos ac Sacerdotes ſuccedere Apoſtolis. Secundum: quòd verbis ſuis panem conſecrent, ac in Chriſti corpus ſubſtantialiter tranſmutent. Tertium: quòd claues habeant cœlorum, quibus ante iudicium vniuerſale, ipſi ſunt iudices legitimi peccatorum. Quartum: quòd caſtitatem voto ſolemni iuratam cuſtodiant. O miram venerandamque dignitatem! Hinc ſtupendam illã educit ſententiam: *Mihi ante presbyterum ſedere non licet.* Non dicit: *Non ſedeo*, ſed *Non licet*. Illis de iure competit dignitatis, ſedere, nobis qui tales non ſumus, coram illis ſtare, illos & Dominos ac noſtros Superiores reuereri. Nondum erat, vt colligitur, D. Hieronymus Sacerdos. Hoc vnus dicit ac ſentit Hieronymus; quàm tibi idem nedum dicere, ſed & agere conueniret?

Marianus Victorius.

## §. 15. Scribæ & Phariſæi. *Licet terreni ſint Prælati, poteſtate tamen pollent ad tractanda cœleſtia: quibus & obediendum.*

SEderunt *Scribæ & Phariſæi.* Quid hoc Domine? An non illi omnium, quos ſol vidit, flagitioſiſſimi? Iam nunc dixeras, illos omni plenos ſpurcitiã, auaritiã, ambitione, hypocriſi, à diabolo ad tartarum abripiendos, qua ſufferes ratione, talem fœcem tuas occupare cathedras, tuam referre perſonam, quodque ipſi præcipiant, ſtatuant, prohibeant, diſponant, & domus tuæ ſacratiſſimæ præſideant regimini? En vice altera Chriſtus confundit hæreticos, quos præſcius nouerat in Eccleſia ſua ſurrecturos, Ioannem Hus, Wicleph & alios, qui pretenderent, quempiam ex eò quòd malus ſit prælatus amittere ſedendi auctoritatem imperandique proteſtatem: iuri æquo contradicere vt filius imperet diaboli, inferni miniſter, filijs Dei, eiuſque domus negotijs inuigilet. Mentiris ò hæretice, mentiris: vitæ enim peruerſitas Prælato non aufert dignitatem, nec præcipiendi eripit poteſtatem, nec docendi magiſterium, aut quæ ſunt muneris exequendi, vt ſi ſit Sacerdos miſſam legendi, ſi confeſſarius abſoluendi, ſi doctor prædicandi, ſi Epiſcopus ordines conferendi, confirmationis Sacramentum miniſtrandi, ceteriſque præcipiendi. Qui mali, his Scribis ſceleratiores; Non quia mali, perdunt cathedræ poteſtatem, nec quam illa dat auctoritatem: *Quocirca omnia quæcumque dixerint vobis: ſeruate & facite.* Optima conſequentia ſedet in cathedra, ergo docere, iubere, ordinare poteſt; tu verò illi præſtare teneris & obedientiam & reuerentiam. Egregiè ſanè diſputat D. Auguſtinus ad rem noſtram. Commune eſt D. Auguſtino docere, ciues eſſe quoſdam Hieruſalem alios autem Babylonis, quo ſignificat, viuere hic quoſdam ciues cœlorum, alios inferni. Ratione huius compoſuit, viginti illos duos libros *de Ciuitate Dei.* Supponc igitur, inquit, homines quoſdam ciues eſſe cœlorum, & quaſi hic in terra peregrinos: alios econtra, ciues eſſe terrarum, & ad modicum cœlorum peregrinos. Cognoſces quempiam eſſe cuiuſdam ciuem ciuitatis in qua fixum habet domicilium, vbi viuit, bona ſua poſſidet, negotia ſua, habitaculum: & conſideras eum eſſe alterius ciuitatis peregrinum, vbi tantummodo pertranſit, ad modicum moratur, non ſedem figens,

29

*In pſ. 51. & 61.*

I. Duplices ſunt ciues Sanctorũ



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gens, nec ædes extruens, ad id tantum cuius tūc temporis indiget. Hoc ſuppoſito, ſunt illi ciues cœlorum quorum ibi iugiter hæret anima, cogitatio mens, theſaurus, ardenſque deſide-
Ephes. 2. 19. rium: *Ciues Sanctorum*, vocat eos D. Paul. Si vero ſint in terra, hoc tantum eſt per tranſen-
1. Timot. 6. 8. nam, vt ſibi ſumant neceſſaria: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Illi hic corpore tantùm morantur, & vt ſibi de neceſſarijs prouideant, vt ad ſuam tendant ciuitatem, ieiunia, mortificationes, eleēmoſynas. Tales erant veteres illi Sanctiſſimi Patres, qui radicem non figebant in terra ſed tenui veſtitu, & humili caſula contenti viuebant, &c.
Heb. c. 11. 9. de quibus ait Apoſtolus: *In caſulis habitando, &c. confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* Si virum in hac videris ciuitate, cui dicis: Domine, vt quid in ædibus tam abiectis, contractiſque viuis incommodus? An non conſultiùs foret domum ædificare? & is reſponderet Domine, Aduena ego ſum & peregrinus, non hic fixum habeo domicilium, tantummodo intentus iuri meo proſequendo, ſi luce craſtina protulerit Iudex ſententiam illico ad patriam vrbemque meam velox repedabo. Hoc illi Sancti agebant: *In caſulis habitando.* proinde dicebant, in cœlo ſe ſuas habere cogitationes, mentem, deſideria: *Habebant manentem ciuitatem.* Talis erat Iacob Patriarcha, qui cunctis vitæ ſuæ diebus ſe cenſebat in hoc
Gen. 47. 9. mundo peregrinum: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt.* Talis & Dauid:
Pſ. 38. 13. *Quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Mali ex oppoſito, ciues ſunt terrarum, & cœli peregrini: hic eorum hærent corda, curæ, diuitiæ, vitam hanc magnifaciunt, delicijs ac voluptatibus enutriunt. Hic omne eorum fulcimentum, quales illi erant, qui-
Luc. 6. 24. bus Chriſtus minabatur: *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram.* Homines qua-
Iud. v. 19. les deſcribit Iudas Apoſtolus: *Animales ſpiritum non habentes.* Quos verè dixeris eſſe equos vel lupos, vel iumenta, ſeu arbores in terra radicatas nec habentes ſpiritum, qui de terra ſurſum vel ſemel erigatur, ſed anima viuūt vegetatiuâ quæ per omnia & in omnibus à terra dependet, illi
Pſ. 16. 11. ſunt terræ ciues: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Verum eſt, nec diffiteor, quòd interdum cælum petant tribulationibus attriti, preces fundant, ad Deum ſupplices confugiant, eius ſibi implorent ſubſidium, attamen ſunt velut in cœlo peregrini, eorum ibi tantum cor hæret tranſeunter, vt, quæ quærunt, conſequantur.

Vlterius, (inquit D. Auguſtin.) progrediamur, 30
ſacræ ſcripturæ paginas euoluamus, inueniemus autem, aliquando cœlorum ciues adminiſtrare, dirigere, ac gubernare terrena, quia terræ Rex eos ad ea peragenda munit poteſtate. D. Ioſeph ciuis erat cœli, nihilominus ſuſpicis illum terræ Ægypti protegem, tam ampla præclarum poteſtate, vt eius tantummodo verbum, lex cunctis eſſet Ægyptijs irrefragabilis: Rex enim Ægypti Pharao, proprio illi annulo conſignato, in proprium eum ſuſtulit currum: illique ait: *Non mouebit quiſquam manum aut pe-* Gen. 41.
*dem, in omni terra Ægypti.* Eodem planè mo- 44.
do reperies Danielem in Babylone cœlorum ciuem qui ſurſum ad cœlum ita cordis fixerat ſedem, vt ternis vicibus per diem co. ue ſus ad Hieruſalem patentibus feneſtris Deo ſupplicaret, his non obſtantibus totam ipſe regebat ciuitatem, terramque Babylonis: *Præpoſitus negotijs regijs.* Mardochæus vir pijſſimus ciuis erat cœli, vbi corde morabatur; nihilominus ille erat qui Perſarum Monarchiæ habenas moderabatur, veſtibus regijs indutus, ad ſupremam euectus dignitatem, equo regio ſublimis: Rex enim Perſarum Aſſuerus tanta eum dignatus eſt auctoritate, vt & ipſe Aman ei ſeruiret, ac ſtiparet famulus, ille toto Perſarum clarus in Imperio. Similiter inuenies, (inquit D. Auguſtin.) terræ ciues, homines terrenos, malos, peruerſos regere, gubernare, cœli Rempublicā, cœleſtis agere negotia ciuitatis. Rex enim cœlorum illis conceſſit & auctoritatem & poteſtatem: collocat eos, aut ſedere permittit in cathedra ſua, vices ſuas obire ſuperiores, & præceptores. Quid magis ad cœli ciuitatem ſpectabat, quàm Chriſti mors, in qua ciuium cœleſtium tota fundatur beatitudo? Nihilominus q is mortis huius diſponit executionem? ciues terrigenæ, mundi incolæ, Scribæ, & Phariſæi, quorū hoc totum erat, ſtudium ſeipſos in terra conſeruare, ac in ea domos ſuas, ſtatumque dignitatis; inter quos terrenorum ciuium caput Caiphas fert ſententiam: *Expedit vobis, vt vnus moriatur* Ioan. 11.
*homo pro populo.* Num illis igitur ſceleratiſſimis 50.
manibus tantum tamque cœleſte negotium expeditur? Expeditur: ipſi quippe ſunt, qui ſedent in cathedra, cogunt concilium, & in ipſo præſidet Caiphas, quaſi in Dei cathedra reſidens: *Cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit.* Pilatus ciuis erat terræ, & nihilominus adminiſtrat ea quæ tangunt Chriſti cauſam, & ipſe cum eſſet omnium Dominus vniuerſalis ſe illi ſubiecit: quia cum eſſet Pilatus iudex, ſederetque in tempora-

lis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ralis cathedra regiminis, Dei vices, obibat & poteſtatem: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam niſi tibi datum eſſet deſuper.* (Ioan. 19. 30.) Cuius eſt terræ carnalis, ambitioſus profanus Confeſſarius, attamen à cœlorum rege poteſtatem obtinet, qua poteſt adminiſtrare, regere & gubernare id quod ad animæ tuæ ſpectat ſalutē, te à peccatis tuis abſoluere verè & realiter criminum impertiri remiſſionem ex Dei gratia, quam tibi per Sacramentum confert, cuius ipſe eſt miniſter licet indignus. Tertiò conſideremus: quomodo cœli ciues negotia curant temporalia, nec eis tamen inficiuntur aut cordis affectu adhærent, vt Ioſeph caſtiſſimus, qui licet regia maieſtate, magnificus & eminentiſſima Princeps auctoritate, mentis affectum illis minimè habebat agglutinatum, imo hæc maximè deteſtabatur: vt puriſſima Eſther, quæ veſtibus ornata ſtragulatis, nedum illis non afficiebatur, quinimo ab his prorſus auerſa gloriam terrenam, mundique iſtum abominabatur, vnde ſic eam orantem lego: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ.* (Eſther 14. 16.) Ita terreni ciues, quandoque cœlorum agunt negotia, nec eorum tamen corda penetrant; malus abſoluit Confeſſarius alterum, eius mundat animam, ipſe verò manet immundus: regit & peruerſus prælatus, & alios ad cœlum ducit, ipſe vero feſtino gradu ad inferni tendit ima condemnatus, Prædicator, qui operibus ſuis aliis eſt ſcandalo, docet, animam illuminat peccatoris, iuſtum ſolatur, ipſe peccator, ipſe tenebrio, ipſe obduratus. Ad vitæ metam propero: qua Chriſtus finit: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite:* Ipſi præſcribunt, leges condunt, regunt, docent, non proprio nomine, nec ſua auctoritate, ſed Dei: quocirca poteſtate pollent quam à Deo acceperunt; illis igitur obedite, reuemini, honorate, non illos, ſed Deum in illis, à quo omnis auctoritas, attendentes.

§. 16. *Honorari debet Prælatus, licet malus; iniuriam illi factam Deus ſibi cenſet irrogari, ſicut capiti iniuria eſt quæ capillis irrogatur.*

31 O*Mnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite.* Optima conſequentia: In cathedra mea ſedēt, meum obtinent locum, vicibus meis funguntur, illis obedite, illos igitur honorate, licet ſint ſceleratiſſimi, eorūq; opera deteſtāda. Noluit Deus Prælatorū auctoritatem, ac Sacerdotum poteſtatem, eorumdem alligare vitæ bonitati: Si enim hoc ageret magna ſequeretur inordinatio, quia cum ignoremus quis bonus quis ſit malus, nec etiam quis legitimam haberet auctoritatem, ſciremus, nec quis verus prælatus, ſed optimè eorum auctoritatem cathedræ in qua ſedet, officio ac dignitati quâ ceteris eminent, alligauit. Præcipit Dominus Moyſi, vt ſummi Sacerdotis componat veſtimenta, vt ex illis eius pateat omnibus auctoritas, dignitaſque miniſterij, nominatim autem iubet cudi laminam auream, quæ aureis ſuſpenſa catenulis, ex humeris ante Pontificis pectus dependeat, cui inſcriberetur: *Doctrina & veritas*, q. d. hic ubi inuenienda vera fides, fidelis veritas, ſecuraque doctrina. Domine, vt quid hic non inſculpitur: *Bonitas.* (Exod. 28. 30.) Cum ratio ſuadeat, pectus ſacerdotis debere capaciſſimum omnis vas eſſe ſanctitatis? Nequaquam; non enim vult veram alligari doctrinam, quā decet Sacerdos, ſuuſque legitimus miniſter, eius morum integritati, ſed cathedræ, loco, ac officio, quo fungitur: quocirca non eſt quòd eius ſpectes bonitatem, opera attendas, ſed eius ſolummodo doctrinæ, verbis, definitionibus, ac præceptis obſequaris. *Omnia ergo quæcumque*, &c. Non ſuo nomine docent, ſed meo, non ſuam ſed meam referunt perſonam. Hic erat prophetarum ſcipio, hic eorum prologus: *Hæc dicit Dominus.* Non ergo hoc tu ipſe dicis? Dico quidem, at non meo, ſedens nomine. Hinc Chriſtus hanc intulit concluſionem: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* (Luc. 10. 16)

Celebris eſt illa Exodi ſententia: *Dijs non detrahes, & Principi tui non maledices.* (Exod. 22. 28.) Hunc omnes SS. Patres locum aduertunt, illos Deos intitulat; vt Moyſen Deum Pharaonis: *Ego conſtitui te Deum Pharaonis.* (Exo. 7. 2.) Et tibi Deus eſt, Sacerdos. D. Gregor. hunc locum notat, aitque: „En quale illis tribuit nomen, quo ſignificat, „quòd qui contra illos murmurat, contra Deum „cenſetur murmurare, teſte Moyſe, & hoc de„inde ſubiungi: *Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria: quia „cum piæ memoriæ Conſtantino Principi in ſcripto „oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, libel„los quidem accuſationis accepit, & eoſdem, qui ac„cuſati fuerant, Epiſcopos vocans, in eorum conſpe„ctu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Dij eſtis „à vero Deo conſtituti.* Perpendit, quòd infideles, „Deorum ſuorum ex lapide & ligno venera„bantur Sacerdotes, ille verò cultus ac honor ab „illis præſtitus, clamat ad nos Chriſtianos, hono- (Divus Greg. lib. 4. Ep. 75.)

„ remq́ue teſtatur, quem Sacerdotibus veri Dei „ debemus exhibere.

I. Similitudo.

Quo non honore nobilis, ſeu titulo quodam prælatus proſequitur homuncionem, vilem, terræ fœcem, qui manu tenet baculum? quam ſe cōtinet compoſitus, quàm modeſtus dum eum videt alterum capientem ac dicentem. (a) Regis captiuus. Illuſtrè Domine, veneraris, qui nec dignus ſit tuorum famulus eſſe famulorum? Ad eius te ſiſtis præceptum, qui quidquid dixerit, vix nauci valeat. Non eius intuitu hoc ago, ſed eius cuius refert perſonam, nempe Regis, cuius vices voceſque obtinet. Cernis lignum fixum in terra, graue, deſpectum, vt illi inſideas; attrahit illud ſibi ſtatuarius, ex eo ſculpit crucifixum: O quis huic honor, quis cultus, quæ genuflexiones? quæ tibi cura illi caput aperiendi? Quàm non anxius, ne quæ illi fiat iniuria, aut contemptus? An ergo non illud lignum, abiectum, deſpicabile? Non abnuo; porro hanc ei figuram dederunt, qua Chriſti refert perſonam, proinde contēptus illi illatus, Chriſto infertur. Idem tibi de Papa, Prælatis Eccleſiæ, Sacerdotibus, Doctoribus, Prædicatoribus intelligendum. Homines ſunt ex maſſa terrena ac vili, at officio, & ſedentes in Cathedra Dei ipſius exprimunt perſonam, eiuſque filij Chriſti redemptoris, qui illos ſpernit, Chriſtum ſpernit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.*

(a) *Preſo por el Rey*

Hoc luculenter expreſſit D. Bernard. docens, quid tibi ad animæ ſalutem ſit agendum, dandum vnicuique id quod debes, conformiter Apoſtolico conſilio: *Reddite omnibus debita.* Primò: debita ſoluenda Superioribus. Quid illis debetur? Obedientia & reuerentia. Obedientia, voluntatem interiorem ſubiiciendo: reuerentia, corpus actibus honoris exterioribus ſubmittendo: *Redde reuerentiam Prælato, & obedientiam; quarum altera cordis, altera operis eſt. Nec enim ſufficit exterius obtemperare maioribus noſtris, niſi ex intimo cordis affectu, ſublimiter ſentiamus de eis.* Dicito mihi, virorum piiſſime, ſi Prælati ſint criminoſi, qui ob nefandæ vitæ demerita calcari merentur & contemni, quid agam? Audi reſpondentem: *Quod & ſi manifeſte innotuerit indigna prælati alicuius vita, vt nihil diſſimulationis admittat, propter eum tamen, à quo eſt omnis poteſtas, ipſum, quem modo talem nouimus, excelſum reputare debemus, non præſentibus perſonæ meritis, ſed ordinationi diuinæ, & dignitati officij ipſius deferentes.* Vide D. Paulus hanc infert concluſionē: *Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum.* Myſteriis non vacant verba illa

Rom. 13. 7

D. Bern. *Serm. 35. in aduentu Domini.*

1. *Theſſ.* 4. 8.

Dauid in Doeg Idumæum, qui vt Saüli complaceret, animam manuſq́ue octoginta quinque Sacerdotum innoxio cruore maculauit, quos ſacra ornabant veſtimēta. Pſalmum quinquaſimum primum in illum compoſuit: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* O fallax proditor? *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Hoc antiquitus cenſebatur maximum ignominiæ genus ſi viro nouacula barba capuťq; raderetur. Primum: quia fœdum eſt, dedecetq́ue virum aperto capite, caluum raſumq́ue inueniri. Alterùm: quia capitis capilli deſignant cogitationes, caput autem deradi, quaſi amentiæ, vanitatiſq́ue eſt argumentum. Ita quoque cernimus, Deum aliis minatum: *Radet Dominus in nouacula conducta.* de quibus alias. Narrat deinde ſacra lectio, quòd Ammonitæ Regis Dauid legatis deraſerunt medium capitis ac barbæ: Præcipit illis Dauid vt parumper diſcedant, & ab hominum oculis ſegregentur, donec capilli renaſcantur. *Erant enim viri confuſi turpiter, valde.* An illis integrum non erat, alteram quoque partem rōdere, vt eſſent æqualiter deraſi? Minimè. Valde quippe viro erat ignominioſum deraſum prodire in publicū. O fœdifrage (inquit Dauid) proditionis ſcelus inſtar nouaculæ acutæ commiſiſti; quæ pilos deradit, caput deturpat, virumq́ue inhonorat, quibus ſignificatur eum excerebroſum, expertem rationis, eſſe diſcurſus incapacem. Viden' ô Doeg proditionis crimen, Sacerdotes occidiſti? capillos illis totondiſti, ferro cædente trucidaſti? Deum inhonoraſti? Caput Eccleſiæ Chriſtus: *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam.* Capilli eius, quibus decoratur, ac bellè componitur, sūt Sacerdotes, Prælati, Confeſſarij, Prædicatores, quibus patet eſſe in Eccleſia regimen, eiuſq́ue rebus prouidam diſpoſitionem. Eia age: num de Prælato murmuras? num refractarius es Superiori? Num deſpicis Sacerdotes? Num illos noaculâ linguæ tuæ acutiſſimâ capillos deradis, tuum de illis temerarium ferendo iudicium? Attende te Deum calumniari, & vnico verbo, te, de modo quo regit Eccleſiam, Deo detrahere, eumque vt amentem, excerebroſum, ac rationis impotem inſimulare.

*Pſal.* 51.

*Iſai.* 7. 20.

*Ibid.* 2. *Reg.* 10. & ſeqq.

1. *Reg.* 10. 7.

*Epheſ.* 1. 22.

Hoc Dominus reſpondit, conſolatuſq́ue eſt intimum ſuum prophetam Samuelem, dum populus in eum ſeditioſus commouetur, quem Deus cathedræ regimini præfecerat. Corā Deo conqueritur, exacerbatus ob illatam ſibi à populo iniuriam, cui Deus: mi chariſſime: *Non te abiecerunt, ſed me.* Non te frangat iſta res; non tibi

1. *Reg.* 8. 7.

tibi ſed mihi, ſunt iniurij: cum nec tu eſſes, nec tuo nomine hoc iudicis officio fungereris, ſed meo. Hoc idem ait Dominus Moyſi, quando ille populus tumultuarius ac rebellis in eum fratremque Aaronem inſurrexit, quos ambos lapidibus obruere feſtinabant. *Vſquequo detrahet*
Num. 14. 11. *mihi populus iſte? Quouſque non credent mihi? Feriam igitur eos peſtilentia atque conſumam.* Domine, de quibus conquereris? Nemo te compellauit, nec quidem tui eſt recordatus, de quo igitur contra te murmure inca deſcis? Non tibi fidem, cui nec eis es locutus, denegarunt, ſed Moyſi. An ergo ignoras id quod contra meos committitur miniſtros, in me committi, & vt mihi factã me reputare calumniam? Hinc collegit Moyſes quoddam reſponſum, quod poſtmodum dedit Dathan & Abiron qui contra eum, fratremque Aaron rebelles inſurrexerãt, dicentes, cur ipſi ceteris ſuperiores, reliquis imperarent, qui illis vitæ meritis erant æquales:
Num. 16. 11. Reſpondit Moyſes Core: *Omnis globus tuus ſtet contra Dominum: Quid eſt enim Aaron, vt murmuretis contra eum?* Diſputat & inuehitur D. Chryſoſt. in murmuratores ac contemptores Sacerdotum & Prælatorum, expendit illa Dauidis verba, quibus Dominus iniuſtè querulum reprehendit. Abominabile eſt Deo murmuratoris vitium, quod tam grauiter accipit, vt illud præ ceteris nobis Spiritus S. perſuadeat eſſe e-
Sap. 1. 11. uitandum: *Cuſtodite ergo vos à murmuratione,*
☞ 32 Tanto Deus ardore virum quendam perter-
II. ret, vt velit à Dauide magnam pſalmi partem
Grauiter Deus murmuratoribus iraſcitur. Pſal. 49. 20. componi qua ſuam exponat iram, declaretque contra eum Dei minas terribiliſſimas. Et quæ huius ſubeſſe poteſt ratio? Quid poteſt tam eſſe malum, quo ſe Deus ita monſtret commotum? Quia die quodam toto cordis affectu contra proximum murmurauit: *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris.* Per metipſum iuraui, dicit Dominus, hoc tibi male caroque conſtabit, ô murmurator: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Quàm grauiter Deus in murmuratorem irritatur (inquit D. Chryſoſt.) & in quem habebat? in particularem, vicinum ſuum, hominem viliſſimum, infimæ ſortis, cui ea de cauſa nomen aliud non imponit, quàm fratris: *Aduerſus fratrem tuum.* Quid ageret? quàm ad iram Deus prouocaretur, ſi in proprium parentum querulus ac moleſtus inſurgeret, ſi contra Superiorem, patrem ſpiritualem Dei vices voceſque referentem? ſtomachatur Deus, quòd contra proximum licet abiectiſſimum obmurmures, hoc cum durè ſatis caſtigabit. An tibi non venit in mentem Phariſæus, quod ſi diligenter, ea quæ de ipſo ſcribuntur attenderis, vix peccatum aliquid deprehendes quod reprehendas, ſed tantum bona opera, ieiunia, eleemoſynas, quæ ſummopere commendes. Ob quam igitur culpam condemnatur? Quia aduerſus publicanum loquebatur, hominem infamem, trioboli, ſed nec in foro, inter homines, aſt in templo, apud ſemetipſum, coram Deo, nec ſedens, ſed ſtans: *Stans Phariſæus.* Propter hoc remiſit illum Deus Luc. 18. 11.
male ablegatum: quàm non acriter in eum deſæuiret, ſi ſedens, in foro, ſeu virorum cœtu, de Prælato, de Sacerdote, qui Dei eſt miniſter ac vicarius, murmuraret?

An non meminiſti eius pœnæ, qua Deus olim Mariam ſororem Moyſi mulctauit ex quadam diſplicentia, contra Moyſem murmurãs, & obganniẽs, non cum extraneis, ſed ipſo ſuo germano fratre Aarone. Non in publico om- Num. 12. 1.
nium conſeſſu, ſed ſeparatim, & nemine vidente, vel audiente. Quid agit Deus? Perfundit eam lepra fœdiſſima de capite ad calcem, qua cunctis abominabilis, doloribus miſera, viſuq; horrenda cernebatur. Parcat mihi Deus: talem mulierem, quæ ſicut Moyſes virorũ dux præambulus, ita & ipſa mulieribus conſtituta præambula. Quæ ſpiritu fœta prophetico; cuius in fratrem erat murmur, res tam quotidiana, vt dicamus, quòd de ſuis quiſque velit male loqui, ſed non malè audire & hoc in abſcondito; propter tantillum tantum ne ſupplicium? Addo: pro ipſa Moyſi ſupplicanti, reſpondit Deus, quòd il- D. Chryſo. in illud Salutare Priſcillam. Habetur poſt Homilias in Epiſt. ad Romanos Tom. 4.
lam curare non velit: *Cum maledixit, nihil illi profuit ad effugandam iram Dei, ſed nec Moyſes, qui tantũ populum poſt recentem illam impietatem precibus obtinuerat, pro ſorore ſupplicans, & veniã petens placare Deũ nõ potuit, ſed ab eo valde increpatur.* Quid te manet quærit D. Chryſoſt. qui tã aperta fronte in publico hominum cœtu murmuras de Sacerdotibus, Superioribus, Prædicatoribus: *Si maledicẽtes patri vel matri morte moriuntur iuxta legem, quali iudicio dignus eris, qui maledicere audes ei, qui parentibus illis magis neceſſarius eſt, & melior?* Cõſequenter expẽdit verba Chriſti: *Super Cathedram Moyſi, &c.* & quod legimus de D. Paulo, qui maledicẽs ſepulchrũ dealbatum hypocritam, eo quod in eum contra legis agetet præſcripta, Dei prædicens ei inſtãtem vindictam; vt eum eſſe Pontificẽ intellexit, retraxit ſe atque in ſui exonerationem: *Neſcie-* Acto. 23. 5
*bam, fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum.* Deinde oſtendit, quo reſpectu, qua reuerentia Dauid impium illum Regem Saül coluerit, qua verbe-

rum

1.Reg.24. tum lenitate eum alloquebatur : *Quia Chriſtus*
7. *Domini eſt* : vt numquam os aperueri in eius
contumeliam , licet tot ſingulis horis ab eo-
dem iniuriis laceſſitus. Nec omittit miſerum il-
lum caſum & occaſum Ozæ tangentis arcam
fœderis Domini , qui *Mortuus eſt ibi coram Do-*
1.Par.13. *mino.* Quid igitur commiſit criminis arcam tan-
10. gens iam ad caſum inclinatam? Non ad te per-
III. tinet,qui ſubditus es & ſæcularis tangere Sa-
Cur Oza cerdotem, nec coram multitudine in eum lin-
ſit per- guam tuam explicare : hoc enim eſt tangere
cuſſus. ipſum Deum:*Qui vos tangit,tangit pupillam ocu-*
Zach.2.8. *li mei*,ait Dominus.

Inſolitum quid refert Vates Hieremias, qui
ex profeſſo,Deique mandato prædicit Babylo-
nis tremenda ſupplicia , quibus vrbem illam
ſtrictiùs viſitaret , per manus Perſarum atque
Medorum , qui eius eſſent monarchiam reg-
numque vaſtaturi : *Aſcendit contra eum gens ab*
Hiere.50 *Aquilone quæ ponet terram eius in ſolitudinem,*
3. *& non erit,qui habitet in ea.* Quæ tanti Domi-
mine culpa ſupplicij? Quia videntes illi, cer-
nenteſque Sacerdotum Hieruſalem mores per-
uerſiſſimos,iudicarunt, ſibi licere mittere in il-
los manus populumq; ſacrilegum, nefandum-
que caſtigare, quippe qui tam horrendis ſcele-
ribus Dei maieſtatem prouocabant. *Dixerunt:*
*non peccauimus,pro eo quod peccauerunt Domino.*
Genimina viperarum:dicit Dominus, Sacerdo-
tes meos oppreſſiſtis eo titulo ac nomine quod
eſſent peccatores? Et quis vobis hanc dedit fa-
cultatem? Si mali ſint , & caſum minentur vt
fœderis arca,modò in hanc , in alteram modò
partem inclinentur; vos manus cohibete: illos
enim qui tangit , me tangit. Repetamus argu-
mentum cum Diu. Chryſoſtom. Si in illum eo
quod linguam extenderit , contraque homi-
nem plebeium murmurarit, Deus ſic excande-
ſcit, pœnitque atrociter : Vide quæ te maneat
pœna, qui contra proprium patrem, Prælatum,
Paſtoremque murmuras inquietus? Quale de te
ſumet ſupplicium , qui ad hoc omnes intendis
neruos,vt naſo ſuſpendas Sacerdotes, irrideaſ-
que Prædicatores? Proditor: *Sicut nouacula acu-*
*ta feciſti dolum*;dum lingua capillos præſcindis,
ipſum Chriſtum,qui caput eſt Eccleſiæ,turpiùs
inhonoras.

§. 17 *Quàm fuerit Samſoni pernicioſum, capil-*
*los ſibi tonderi, in quibus eius conſiſtebat for-*
*titudo. Idem iudica de Eccleſia , dum eius*
*ſacerdotes & Prælati tanguntur.*

ALio quoque modo licet nobis exponere
verba Pſalmiſtæ,quibus, vt ſentio,prodito- 33
rium Dalilæ tangit ſcelus. Quàm fortis imò
fortiſſimus Samſon? tam robuſtus , vt peſſula,
ſeraſque pendulas diffringeret, portas ſuſtolle-
ret,leones diſcerperet. Et vnde ei fortitudo,&
tanta corporis fortitudo? Hanc Deus capitis e-
ius crinibus alligauerat. Eſt homo ( teſtantur
Philoſophi) *Arbor inuerſa.* Radices ſunt capilli:
Arbor terræ radices abſcondit , ex illa quippe
ſuam accipit,ſugitque virtutem, robur, fœcun-
ditatem : at Samſon in cœlum ſurſum ſuas at-
tollit,unde enim ſuam accipiebat, virtutem, ro-
bur,fortitudinem. At rei tam leui, quæ quolibet
agitatur vento,tales Deus vires alligauit? Alli-
gauit omnino. Quid molitur fallax illa mu-
lier? Scelus aggreditur proditorium: raſit om-
nes crines eius. Dormiebat Samſon in ſinu Da- Iud.
lilæ,ſecurus,capilli tondentur, receſſitque ab eo
fortitudo. O quàm robuſta mater Eccleſia,
quàm animoſa? Quantis viget viribus ? peſſula
catenaſque dirumpit peccatorum,portas aperit
cœlorum , quinimo & inferni clauſtra diffrin-
git dæmoniorum. In quibus ei tanta fortitudo?
In capillis,qui illam adornant, in Sacerdotibus.
Ex capite crines enaſcuntur. Caput Eccleſiæ
Chriſtus,ex eo ſumunt robur , virtutem, vireſ-
que Sacerdotes & Prælati , eaſque tantas , vt
peſſula dirumpant peccatorum , vectes dimi-
nuant inferni, ianuas aperiant cœlorum. Illis
dixit Chriſtus : *Dedi vobis poteſtatem calcandi* Luc.
*ſuper ſerpentes,& ſcorpiones,& ſuper omnem vir-*
*tutem inimici.* Et iterum: *Quæcumque ſolueritis* Matt.
*ſuper terram,&c.* Cui linguæ tuæ nouaculâ ca- 18.
pillos detondes? In quem contumax inſurgis?
Quem tua calcas calumnia ac irreuerentia? In
quem bella moues? De quo murmuras? De Sa-
cerdotibus? de Superioribus ? de Prædicatori-
bus? de Confeſſariis? O Iuda ſceleratior ; illos
reſcindens capillos , Eccleſiam demoliris. O
Impoſtor Luthere,quid ais proditor ? Eſſe non
conuenit Papam,Epiſcopos,Sacratoſq; Sacerdo-
tes? Num capillos,qui de Chriſto capite Eccle-
ſiæ naſcuntur,detondes? An ignoras,te illis Ec-
cleſiæ vires omnes eneruare, illamque demoli-
ri ? Hoc fuit Doeg Idumæi facinus ſacrile-
gum,

gum, occidendo Sacerdotes. Hoc quoque te-ipſum commaculas, illis crines reſcindendo, in quibus Eccleſiæ conſtat, & poteſtas, & auctoritas. Hinc liquet Chriſtianam Rempublicam ad peiorem non poſſe deuolui ſtatum, quàm dum eius Prælati, ac Sacerdotes vilipenduntur.

Conqueritur Deus per Oſeam Prophetam, in tantum creuiſſe populi nefandiſſima crimina, vt peccata, quaſi torrentem impetu rapidiſſimum conflarent, homicidiorum, adulteriorum, Oſe.c.4.2 furtorum & fraudium, &c. *Maledictum & mendacium & homicidium & furtum, & adulteriũ, & mendacium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* De eorum igitur Domine, age remedio. Serò conſulis; quia eo vſque aſcẽdit eorum nequitia, vt Sacerdotes deſpiciant, & in illos perduelles commoueantur: *Populus hic ſicut qui contradicunt Sacerdoti.* Satis huic conſonum narrat ſermo diuinus, rationem adducens, quâ Deus irritatus populum ſibi dilectum, manibus tradiderit Nabuchodonoſor, qui templũ euertit, flammæ tradidit, ipſum autem populum captiuum abduxit in Babylonem. Multiplicatâ erant populi peccata ac grauia nimis, ſtudet illis Deus conuertendis, in hunc finem ſuos deſtinat miniſtros, Sacerdotes, prædicatores: At tam peruerſus erat ille populus, tamque pertinax eorum malitia, vt illos exſibilarent, ludificarẽt, deriderent. Siccine populus ſtulteſcit? Iacta eſt 2.Par.36.15. alea, nullum ſupereſt vobis remedium: *Mittebat autem Dominus Deus patrum ſuorum ad illos, per manum nuntiorum ſuorum, de nocte conſurgens, & quotidie commonens, eo quod parceret populo ſuo & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuntios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebantq́; prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum eius, & eſſet nulla curatio.* Vltima notate verba: *Et eſſet nulla curatio.* Timeamus nobis videntes quo nunc deſpectu habeantur Dei miniſtri eiuſque Sacerdotes, quantum illis detrahatur, quantum murmur contra illos; Caue ne nulla tibi ſit curatio.

### §. 18. *Poteſtatem habent Prælati abſoluendi, leges condendi, excommunicandi, proinde ex æquo iure illis obtemperandum.*

☞ 34 *OMnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite; ſecundum opera verò eorum, nolite facere.* Quomodo omnia, quæ præceperint, fecero? Quod ſi doceant, iubeantque nõ recta? Tale enim quiddam videor mihi poſſe præſumere de talibus Cathedraticis, quibus ait Dominus: *Hypocritæ, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?* Matth.12.34. Hanc ventilat D. Aug. Lib.4.de Doctrina Chriſti. c.27. difficultatem: Dico igitur primùm: *Omnia quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite*, quando nimirum loquuntur ſecundum Cathedram, nõ quando ſua proponunt phantaſmata & inuentiones: hoc enim eſt, quod Dominus ait: *Prophetæ, qui prophetant de corde ſuo.* Ezec.13.2. Secundum, vt attendas num ille, qui docet, ſit legitimus doctor, qui cum auctoritate doceat, & iuxta præſcriptum ordinem in Cathedra Eccleſiæ Catholicæ: Si talis ſit ipſa eiuſdem cathedræ auctoritas eum obligabit, vt nihil in ea audeat proponere ab ea alienum: *Illa cathedra* (inquit D. Auguſtin.) D.Aug. Lib.de doctrina Chriſtia. c.25.To.3. *non eorum, ſed Moyſi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo ſua in vita ſua, docere autem ſua, cathedra illis non permittebat aliena.* Huius occaſione proſequitur D. Auguſtin. præclariſſimis rationibus capite ſuo digniſſimis, quibus oſtendit, quomodo ſint omnia facienda, quæ dixerint. Porro hoc *Quæcumque* bene declarauero per aliud, *Quæcumque*, quod ipſe Chriſtus ait Simoni, quando ipſe excelſiſſimam illam emiſit de Chriſti diuinitate confeſſionem, ob quam meruit inter Apoſtolos in Dei regno Principatũ: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matt.16.17. Reſpondit illi Dominus: *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam &c. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Vocando eum petram, Chriſtus illum quaſi alterum ſe in terra conſtituit, quia petræ nomen particulare erat Chriſto, vt notat D. Paul. ex verbis Iſaiæ: *Ecce pono in Sion lapidem angularem, probatum.* Rom.9.33. Hoc ſuum illi communicat nomen: q.d. Te facio velut alterum me in terra. Hic notabis, id quod diximus, ſuperiorẽ videlicet referre perſonã Chriſti. In eo verò quod ait: *Dabo tibi claues regni cælorum, & quæcumq; ligaueris*, ac, *quæcumque ſolueris*, plenariam indicare voluit quam illi daturus eſſet, poteſtatem. Primò dãs ei quæcumque ſoluendi poteſtatem, dat ei à quibuſcumque abſoluendi peccatis auctoritatem cuius adeo fortia ſunt vincula, vt nulla ſit poteſtas creata, quæ vel eorum minimũ valeat abſoluere. O conſolationem eminentiſſimam. Quoſdam inuenies ſuſpicione tremulos, poſt abſolutionem num ſint nec ne verè abſoluti, conſiderata ſcelerum ſuorum grauitate. Frater

mi, teipſum attende, quod tuum eſt facito, conſcientiam tuam perſcrutare, contritionem excitato, quòd Deum tam grauiter offenderis, illata damna reſarcito, occaſiones euitato proximas, ſyncerè & ex animo propoſita mutato, ſubiectione integra accedito, ac dicente ſacerdote: *Ego te abſoluo.* Securus quietuſque maneto: iam enim tibi aſſeruit: *Omnia quæcumque dixerint vobis*, ille idem, qui dederat poteſtatem, dicendo: *Omnia quæcumque ſolueritis.*

1.2.q.102 ar.5.ad 7 Vt autem in hoc reddamur pacati, plurimũ cõducit Angelici Doctoris & ductoris D. Thomæ conſideratio. Statuit Deus vt quando aliquis lepra reſperſus, ſe iam curatum mundatũque eſſe prætenderet, oſtenderet ſe prius ſacerdotibus, qui ferrent iudicium num verè ac ingrè eſſet mundatus, eique præciperent, quæ circa emundationem ſuam ſibi eſſent peragenda; ſi verò ſacerdos ceſſante omni dolo ac fraude, adhibitâ debitâ diligentiâ, ac leproſo rei declarante veritatem, eum mũdum eſſe iudicaret, omnes eum vt mundum haberent. Si verò diceret, nondum eſſe mundatum, omnes eum leproſum eſſe iudicarent; Domine à quo tempore fuere morborum iudices ſacerdotes corporalium, nominatim autem lepræ, quæ profundas adeo agit radices, vt dum quempiam eſſe curatum arbitraris, tabe reuertatur multò grauiori? An non conuenientiùs hoc medicis remitteretur iudicium, vt quid proprium medicinæ? Addo: an falli non poteſt ſacerdos in morbo adeo difficili ac contagioſo? Si fallatur igitur, quomodo mundus cenſebitur, qui mundus non eſt, ſed immundus? Lepra ſymbolum apertiſſimum peccati. vt autem oſtendat Deus, quàm propriè conueniat de illis iudicare ſacerdotibus decreuit, vt etiã lepræ iudices haberentur. Deinde vt ſignificet quàm firmiter debeamus verbo confidere ſacerdotis, ſtatuit diuina ſapiẽtia (inquit D. Thom.) ſi quando ſyncerè remoto omni dolo ſacerdotem adiret leproſus, ſeque in conſpectu eius ſiſteret iudicandum, totumque ſe diſcoperiret, & ſacerdos, adhibita quantum fieri poteſt omni morali diligentia, *Mundum eſſe decerneret.* Quod ab omnibus vt mũdus cenſeretur; imo licet in hoc ſacerdos falleretur, realiter nihilominus, mundus à lepra ex ſententia foret ſacerdotis, ſupplebat autem tunc temporis defectum iudicij diuina potentia, leproſum à lepra emundans, quaſi fraus nulla ſub fuiſſet. Erant hæc omnia vmbra eorum, quibus modò gaudemus: vt tu ſcrupuloſe, tu quoque, qui nullum confitendi finem facis impacatus, teipſum

I. Allegoris.

Leuit. 13. 17.

quietes, quando facta poſſibili diligentia cum dolore, ac ſatisfactione perfecta, peccata confeſſus es, ac dixerit tibi ſacerdos: *Ego te abſoluo &c. Vade in pace.*

Secundò: *Quæcumque dixerint*: conueniat cũ illo: *Quæcumque ligaueris*: quibus verbis indicatur ſuperiorum poteſtas condendi leges, ac præcepta, quæ ligent, obligentque in conſcientia. Quinimo hoc Christus in Euangelio manifeſtat: *Alligant onera grauia &c.* Sunt autem leges vtilia vincula, teſte Spiritu S. *Vincula illius alligatura ſalutaris.* Eccli. Loquitur de præceptis Eccleſiæ, quæ ad ſalutem ſtatuuntur animarũ, quãdo præcipit ieiunium; confeſſionem, miſſæ auditionem, talis ac talis feſti obſeruantiam, hoc agere, illud omittere adimplere teſtamentum. O Dñe, quàm mihi moleſtum, talibus me ligati præceptis, legibuſque conſtringi: Vade, ne triſteris, *Vincula eius alligatura ſalutis.* Alius textus habet: *Fila hyacinthina*, id eſt coloris cœleſtis: q. d. ſunt vincula cœleſtia, licet autem hominum leges eſſe videantur, cœleſti tamẽ pollent auctoritate: *Non eſt poteſtas niſi à Deo & qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit*: Tertiò: Rom. *Quæcumque ligaueris*. capitur pro excommunicatione, quæ ligat hominem, vt recipere non poſſit Sacramenta, vel quòd Dei liget cohibeatque miſericordiam, quam Eccleſiæ ſuæ cõmunicat, ne ad excõmunicatum à ſuperioribus perueniant. De quibuſdam Sanctis aſſerit Deus eorum linguas, claues eſſe cœlorum, vt lingua Eliæ, quâ aquas in nubibus ne in terram depluerent, ligauit, ita quoque lingua Prælati diuinæ gratiæ ſuſpendit aquas, ne in excommunicatum deſcendant nec ad te miſſæ ſuffragia decurrant, nec torrentes Sacramentorum, nec Sanctorum participatio. Quis tanta poteſt? Ille, cuius linguam Deus reddit velut omnipotentem, vt ligata maneãt, quæcumque ligauerit. Ad huius autem declarationem in primitiua Eccleſia, aliquem excommunicare idem erat, ac eum tradere diabolo corporaliter excruciandum. Ita verba illa D. Pauli exponuntur dum de viro loquitur inceſtuoſo: *Quem tradidi Satanæ in interitũ carnis.* 1. Cor. Quem excommunicauerat, & diabolo tradiderat, vt eius corpus poſſideret, illudque grauiùs cruciaret. Idem ſe feciſſe teſtatur duobus aliis Hymenæo & Alexandro, *Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.* 1. Tim. 1. 20. Abſoluere vero ab excommunicatione, idem erat ac abſolutè præcipere dæmoni vt abcedat, hominemque relinquat liberum. Hæc eſt illa tã efficax lingua, cui tam promptè obedit infernus,

dæmo-

dæmones,& ipſum cœlum, vt ſine vlla replica ibidem perficiatur, quod hic in terris dicitur: dignũ igitur ac iuſtum eſt, vt ei tu quoq; obedias,& quæ tibi præceperit velox exequaris. *Omnia quæcũque dixerint vobis,ſeruate & facite.*

### §.19. *Plurimum licet referat Prædicatoris, Prælatiq́, bonitas: porrò ſi malus ſit, quid dicat, non quid faciat, attendendum.*

36 O*Mnia quæcumque dixerint vobis,ſeruate & facite;ſecundum autem opera illorum, nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* O mediũ cœleſte,quod tam cautè curat hepar, vt nõ deſit ſ lem.Hoc terrena neſcit medicina. Fungitur ſuo Chriſtus officio, Prælatos reprehẽdit, eorumq́ue defectus aperit. Quis forſitan dixerit,quod redargutis, ac reiectis eorum perſonis & operibus,eorum depereat auctoritas, doctrinaque infirmetur:huic occurrit feſtinè Dñs,nobiſq́ue ait:quòd nequaquam ex eo quòd peruerſi ſint ac reprobi, vt talem eorum auctoritatem, doctrinamq́ue cenſeamus , ſed hoc nobis incumbat agendum,vt reiectis eorum operibus, vtpote reprobis, verba capiamus, leges eorum vt rectas, honoremus. Indubium eſt (inquit D.

D. Aug. Lib.4 de doctrina Chriſt. c.17.& 18.To.3.

Auguſtin. ) quin multò ſit in Prælato, ſacerdote,& præceptore,efficacior vitæ morumq́ue integritas, vt audiatur , vtque ei obtemperetur, quàm quidquid Rethorices habet Romana dicendi facultas : *Habet vt reuerenter audiatur, quantacumq; grauitate dilectionis maius pondus, vita dicentis* .Ita D.Paul. (ait D.Auguſtin.)docebat diſcipulum ſuum Titum : decere Epiſcopũ, vt ſanctus ſit,prudens,ſobrius ,honeſtus, caſtus, miſericors, vt eius verba , reprehenſio , doctrina,legeſq́ue vim habeant permouendi: *Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana,& eos qui contradicunt arguere.* Emphaticum eſt hoc verbum, *vt potens ſit*,perit etenim verbi potentia , morum peruerſitate. Quàm languidè glans proſilit de tormento , quod intus puluere non impletur, quiigne ſuccenſus illam ſummâ vibret violentiâ per aëra ? Quàm ex ratione de medicamenti præſcripto ſiniſtrè ſuſpicaris,ſi videris, quòd illud velut peſtem ipſe medicus deteſtetur? Vnde Spiritus S. *Doctrina mala , deſerenti viam vitæ.* Qui namque operibus doctrinæ ſuæ contradicit,anſam dat, credendi id quod ipſe docuerit, non rectum eſſe, cum idem ipſe operibus non exequatur,ſibique ſumat faciendum. Præclarè ſanè declarat oris ſui Theoricam manuum ſuarum practicâ prædicator;dumq́ue de eo verificari poteſt illud Pſalmiſtæ : *In intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* Lepida ſatis eſt illa D. Ægidij ſocij quondam Seraphici Patris Franciſci hiſtoria.Adiacebat conuentui , in quo morabatur,cuiuſdam ciuis vinea, in quam ip ſe miſerat operarios, vt eam foderent, ac putarent. Inuiſit operarios ſuos Dominus vineæ ,quos inueniens multiloquos , & otioſos , ſic ſegnes reprehendi :Chariſſimi: *Fatte fatte, & non parlate.* Parcite linguæ,manibus agendum , operamini,nec tanta loquamini. Audiuit hæc D. Ægidius, cellulâ ſuâ egreditur , per Conuentum diſcurrit,vociferatur. O prædicatores , audite, quid vobis bonus ille vir ſuggerat: *Fatte, fatte, & non parlate*.quod vobis melius quàm vineæ operariis vtique conuenit , quos decet non tam loquendi facultas,clamoſq́ue intenſiſſimus quã multa diligentia praxiſq́ue operandi , vt magis operibus quàm vocibus doceatis , ſiſque ſtudioſiores manus mouendi, quàm linguam. *Fatte,fatte,& non parlate.*

Ad Tit.1. 9.

Prou. 15. 10.

Pſ.77. 72.

Apud Sur To.7. 23.Aprel. p.316.

I. Exemplum.

Eleganter de hoc agit D.Hier. *Perdit auctoritatem dicendi cuius ſermo opere deſtruitur,*& ad rem declarat definitionem boni Oratoris ex opinione philoſophorum.: *Vir bonus dicendi peritus.*Primum volunt , vt ſit *Vir bonus.* Notatq́ue ſententiam Ciceronis eloquentiæ Principis:*Caput eſt artis,dicere quod facias.* Optimè adſtruit D.Hier.ſi enim efficaciter perſuadeat oratio eloquentiſſima , multò melius ſi iungatur actui virtutis eminentiſſimæ,& operi pietatis flagrantiſſimæ.Notat Pierius Valerianus : Ægyptios,vt ſummam eloquentiam , quæ efficaciſſimè perſuaderet,exprimerent,manum extentam depinxiſſe.Vulgare eſt omnibus, manum ſignificare operis executionem.Hoc vocat Spiritus S. manum , nam volens exponere diuinæ potentiæ prodigium,quo Pharaonem maris rubri fluctibus cum toto demerſit exercitu ; de Iudæis ſic ait:*Viderunt manum magnam , quam exercuerat Dominus.* Hoc quoque Hieroglyphico vſus eſt Rex Saül,cũ obtenta de hoſtibus inſigni victoria:*Erexiſſet ſibi fornicem triumphalem*, In cuius ſummitate manum depingi iuſſit extentã, quod indicant verba ſacri textus in Hebraico : *Fecit ſtare manũ*,vt dicemus. Hæc igitur ſumma eſt eloquentia Prælatorum, Principum, & Concionatorum,qua perſuadeant,in tantum, vt Spiritus S. quaſi miraculum cenſeat,ſi efficaciter nõ moueant auditores,quocirca,vt miraculum non tale quale,ſed grande reputat; *Vt Core pereunte filij illius non perirent*: Qui tractant de legibus Lycurgi , quas tota ſeruauit exactè Gentilitas,

D.Hier. Ep.83.ad Oceanum To.2.

II. Vita mala deſtruit fructum exhortationis.

Cicero.

Lib.35. Tit.Opus.

Exo.14 31.

1.Reg. 15.12. Ho.28. n.46.

Nu.26. 18.

„ aiunt huius hanc fuiſſe rationem, quia illas „ non tantum ad aures vocibus, ſed ad oculos o- „ peribus manibuſque publicabat.

D.Greg. In Paſtorali 3.p.c. 6.
Diſputat quoque D.Gregorius de hac materia variis in locis. *Prædicator quiſque plus actibus, quam vocibus inſonet, & bene viuendo veſtigia ſequentibus imprimat, vt potius agendo, quàm loquendo, quo gradiatur, oſtendat*: Exponit autem conformiter quod Dominus ait Iob: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Ad quæ verba commentaria edidit præclariſſima, quæ merentur & legi & videri. Vbi etiam exponit quòd quaſi cœleſti Hieroglyphico Deus deſcripſerit prædicatóres in duabus illis tubis argenteis, quas ductiles id eſt repetito malleorũ verbere Moyſes compoſuit: *Fac tibi duas tubas argenteas, ductiles &c.* Vt ad earum clangorem populus iter ſuum ad terram promiſſionis proſequeretur. Quæ cum binæ ſint, argenteæ, & ductiles, diuinis ſcatent ſacramentis, quæ D.Gregor. ibidem exponit. Redundat S. Scriptura huius doctrinæ veritate, quam vt primum fundamentum veritatis doctor Chriſtus prædicatoribus propoſuit, eis normam quam in concionando ſeruarent præſcribens, dum eos nominat *Sal terræ*, quod niſi in ſe ſaporem habeant ad nihilum valeant, niſi vt prætereuntium pedibus proterantur: *Lux mundi.* Quem luciduſſimis ſuis actibus illuminent; Sed nec aliud quidquam toties apud SS. Patres repetitum. D.Proſper: *Male viuere & bene docere, nihil aliud eſt, quam ſemetipſum propriâ linguâ damnare.* D.Chryſoſt. *Docere abſque operibus, condemnat docentem*; hanc paucis deſcribit Apoſtolus rationem: *Qui alium doces, teipſum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis, Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Qui abominaris idola, ſacrilegium facis?* Cœleſti ſuo ſpiritu clarus D.Bernard. hoc idem ſcribit Domino Papæ Eugenio: *Audi canticum meum & quidem minus ſuaue; ſed ſalutare. Monſtruoſa* „ *res eſt gradus ſummus & animus infimus, ſedes pri-* „ *ma & vita ima, lingua magniloqua, & manus o-* „ *tioſa, ſermo multus, & fructus nullus, vultus gra-* „ *uis & actus leuis, ingens auctoritas, & nu-* „ *tans ſtabilitas.* Conuenit virtuti D.Greg. eiuſque profundiſſimæ humilitati argumentum propoſito noſtro conueniens, quo ſeipſum deplorat. Supponit prædicatorem, ac Prælatum in quolibet genere virtutum oportere eſſe excellentiſſimũ. Ea quippe de cauſa, à Deo vocatur ſpeculator. Et eo nomine Ezechielem honorat, quem miſerat prædicatorem: *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael. ſpeculator quippe ſemper in alto ſtat &c. Et quiſquis populi ſpeculator ponitur, in altum debet ſtare per vitam, vt poſſit prodeſſe per prouidentiam.* Ob hoc præcipiens Dñs Iſaiæ vt prædicet, illi hoc ait: *Super montem excelſum aſcẽde tu, qui euangelizas Sion* deſignãs ſcientiæ, charitatis, zeli, omniumq; virtutũ, quibus præfulgere debet prædicator, altitudinem: *Vt videlicet, qui prædicationis locũ ſuſcipit, ad altitudinem bonæ aſcendat actionis, ad excelſa tranſeat, & eorum qui commiſſi ſunt, opera tranſcendat &c.* His dictis in ſe, reuerſus piiſſimus Doctor „ ſeipſum deplangit: *O quam dura mihi ſunt iſta,* „ *qua loquor, quia meipſum loquendo ferio, &c. qui* „ *otioſis ſemper verbis implicor.* Moleſtè quippe „ fert Deus prædicatorem alios docere, quæ ipſe „ ſibi contradicens, non facit. Opinantur multi „ quod Angelus voluerit Moyſen interimere, „ quòd filios non circumcidiſſet. Quid rerum alios „ pergis docturus, ac circumciſionem filiorum „ præcepturus, & vt Dei ſcita cuſtodiãt, ipſe legis „ tranſgreſſor? Ita Rupertus & Caietanus. An de- „ cens vt vocibus inſonet prædicator ceteriſque „ mandatorũ inculcet obſeruantiam, ipſe præua- „ ricator? Plus æquo ſuccenſet illi Deus, nec ini- „ quum foret aut indecens Angelum mitteret, qui „ & vitam eriperet, quàm cum aliis prædicet „ componendam, ipſe ducat incompoſitam meretur eam ſibi à Deo citiùs terminari. „

Job.c.38. 36.

Lib.30. mor.cap.7

Nu.10. 1.

Matth.5.

D.Pros. Lib. de ſententijs.

D. Chr. Ho.17. in Matt. To.2

Rom.2.21

II. Operibus fulgeat prædicator.

D.Bernard. Li.2. de cõſider. in med.

D.Greg. Ho.11. in Ezech.

Ezec.c.3. 17.

Heu quàm verò verius, & animo magis ſyncero liceret meipſum, alioſque deflere prædicatores, qui mihi vitiis ac imperfectionibus ſũt æquales. Porro nullus daretur finis; at hoc mihi liquidò conſtat, [illegible] re ſcriptum, vt manus linguæ, opera verbis conſonent prædicatoris: at verò, non, quia peruerſi, ſunt inutiles, nec tu ab eorum ſolueris obedientia ac reuerentia. Hoc autem tibi incumbit: audi & fac, quod tibi dicunt: bonum eſt enim: illud omitte, quod faciunt: malum eſt enim. Scimus Deo pergratum, ſi bene nouerimus diuidere, ac bonum à malo ſeparare. Hoc omittentes, aliud autẽ aſſumentes. Si verò illud nequaquam fieret, nec inueniretur in mundo aurum, nec argentum, nec cryſtallus, nec margaritæ, nec triticum, nec oleũ, nec vinum: ad illa quippe neceſſaria eſt ſeparatio: ſimiliter terra de fodinis, & vi ignis expurgatur à ſcoria aurum, de conchis ſeparatur gemma, de palea triticum, de granis oliuarum oleũ, de vinaciis vinũ: ſeparatione vnius ab altero, compoſuit Deus hunc mundum pulcherrimũ: diuidendo aquas ab aquis, & à terra, cœlos ſtellaſq; eduxit lucidiſſimas. Hoc quoq; à te requirit:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hiere. 15. 19. *tu. Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os os meū*
*eris.* Ita vult ſepares in inimico tuo, naturam bo-
nam ad Dei imaginem creatam, ab eius ſceleri-
bus, quibus te offendit; tibíque præcipit, vt ames
naturam, culpam exhorreſcas. Quinimo & ipſe
Virgilius poëtarum anteſignanus interrogatus
quid ageret, reſpondit: de ſterquilinio gēmas e-
duco, fœdum relinquo ſterquilinium, & mihi
colligo gemmas pretioſiſſimas. Hoc dixit quia
peruoluebat Ennium Poëtam, qui multa com-
poſuerat docta, ingenioſa, egregia alia vilia ac
triuialia. Hoc velim facias, idcirco dixit Domi-
Malac. 2. 7. nus de ſacerdotibus: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt*
*ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Non ait,
cor eorum, aliquando enim non ſcientiam, ſed
malitiam velut arcâ cuſtodiunt. Non dixit: ex
manibus eorum veram, ſanamque doctrinam eſ-
ſe requirendam, contingit enim eas ſanguine
maculari, ſed *De ore eius.*

Conjicio autem eum alludere Samſoni, qui
fauum mellis non de corde leonis mortui ac
Iud. 14. 18 putreſcentis, ſed ex ore eius acceperat: *Ecce exa-*
IV. Allegoria. *men apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* Ibi e-
nim illum apes collegerant: fuitque hæc tanta
Samſonis prudentia, vt cadaueris vermibus reli-
ctis fauum ſibi collegerit. Sanctiſſimos viros a-
pes eſſe arbitror, doctrinæ ſalutaris conficientes
fauum, at non ſemper in corde, ſed in ore prælā-
ti, cordi et ſit mortuus, qualis Caiphas; vermi-
buſque ſcateat. Hunc tu ſume fauum, cadaueris
relinque putredinem. Admirandam de ſe narrat
hiſtoriam D. illa Thereſia, gentis Hiſpanicæ ho-
L. vita ſua ca. 38. V. Exēplum. norificentia, gloria Eccleſiæ. Nocte media ecce
Saluator eam conſolaturus in extaſim rapuit, vt
quaſi (ſic fatetur) extra corpus fuerit, viditque
ſanctiſſimam Chriſti humanitatem tali gloria
ac maieſtate, quali numquam, viderat radian-
tem. Repræſentabat ſe mihi notitiâ quadam cla-
ra & prorſu cœleſti, quâ ratione intra paterni
pecto is ſinus collocatur, quomodo verò hoc fa-
ctum fuerit, nequeo explicare &c. Ita hinc ſenſi-
bus abſorpta manſit virgo illa puriſſima, vt mul-
tis diebus perſeuerauerit, præſentem corde ſuo
hanc ſupremam Chriſti reuoluens maieſtatem.
Porro viſio hæc (inquit) altiſſima earum mihi
fuiſſe videtur, quarum dignatus eſt Dominus
me eſſe ſpectatricē. Altero die venerabile Chriſti
corpus ſumptura, perſpicuè vidit quos diabolos
figuris exparueſcendos, quorum cornua vt annu-
li fortiſſimi circumplectebantur miſeri guttur ſa-
cerdotis. Vidi autem Dominum meum præfata
maieſtate clariſſimum, in tali figura quâ eū mi-
hi porrigebat, tales inter manus poſitum quæ
certò certius eum offendiſſe videbantur: intelle-
xi verò, hanc animam peccato mortali fuiſſe in-
quinatam. Quid erat Domine mi, veſtram adeo
venuſtam videre figuram inter figuras tam ter-
rificas? Erant autem dæmones coram Domino
tremefacti, ſtupidi, fugamque cogitantes; at nō
illis Chriſtus permittebat. Hac mater illa atto-
nita viſione, & tremens ob id quod Dominus
vellet, vt ipſa huius animæ ſtatum cerneret de-
plorandum, ait illi, vt pro illa intercederet, ſciret
quoque, ex diuina ſua prouidentia hoc adueniſ-
ſe, vt verborum ſacerdotis caperet efficaciam, &
eius quod operantur; quamtumuis peruerſus ſit
quis ac diabolicus; quod enim adminiſtrat ſa-
cramentum, bonum eſt, ac in ſe quoque bona eſt
miſſa, quam indignus celebrat.

Audiamus quoque factum memorabile cu- 37
iuſdam Anachoritæ, qui ad intimos vaſtæ ſolitu- VI.
dinis receſſus peruadens, diebus prope ſingulis Exemplū
viſione Angelica, cœleſtique conſolatione recrea-
batur, cui ſingulis octiduis ſacerdos ſacram ad-
ferebat communionem. Acceſſit quidam, quærit-
que, qua ratione ac conſcientia communionem
acciperet à ſacerdote concubinario peccatorum-
que voragine: quo dicto receſſit, redeunte autem
ſacerdote cum ſacro Chriſti corpore, illud de
manu eius ſumere recuſauit. Illico ſenſibus abri-
pitur, audiuitque vocem queribundam: *Tulerunt*
*homines iudicium Dei.* q. d. Graue peccatum: iu-
dicare quippè ſacerdotes, ad Deum ſpectat, & hoc
ſibi homines arrogarunt. Quid diceretur non in-
tellexit, ab ſorptus erat, & in eodem raptu ſiti ar-
dentiſſima exæſtuauit. Vidit deprorsum fœtore
horribilem, fune ſerico auroque contexto, ac hy-
driâ aureâ elaboratiſſimâ, aquam de fonte pel-
lucido haurientem, ſibique ad os propinantem:
bibe, dum os admouet, ecce prodit alius, qui bi-
bere volentem detinet. Quid num aquam quam
tibi hauſit lepro ſus bibere non exhorreſcis? Do-
mine mi, reſpondit, quid hoc refert, non ille a-
quam tetigit, nec ab eius inficitur lepra, nec ta-
bioſa lue cōtaminatur. Hinc igitur collige quod
ille, qui tibi ſanctiſſimum defert Sacramentum,
licet ſit leproſus, non tamen ipſe myſterium in-
quinat, nec eius maculat: miniſtri quippe peruer-
ſitas virtutem non tollit ſacramentorum quī-
bus, vt ſebete auro fulgentiſſimo aqua diuinæ
hauritur gratiæ, de fonte puriſſimo Chriſto, eiuſ-
que meritis paſſionis. Hoc tibi competit facien-
dum bonum ſinito; non enim bonum eſſe deſi-
nit, licet malus Prælatus, malus ſit prædicator,
cum in Cathedra ſedeat, ac legitima polleat au-
ctoritate, præcipiatque poteſtate. Præcepit Deus
 ſi quis

ſi quis in vxorem accipere proponat mulierem perigrinam & captiuam. *Radet ipſa cæſariem, & circumcidet vngues & deponet veſtem, in qua capta eſt &c. poſtea intrabis ad eam, dormieſque cum illa, & erit vxor tua.* (Deut. 21. 13.) Superſtitio eſſe videtur: Nequaquam inquit D. Hiero. & D. Tho. (Ep. 26. ad Pammac. 1. 2. q. 105 a. 4. ad 6,) ſed docere intendit, vt ex doctrina infidelium, ſumas quod bonum eſt, omittas quod malum. Idem agito de doctrina ſuperiorum: qui mali ſunt, at doctrina, bona eſt: hoc ſumito, illud omittito.

Demum ſententia fuit patris familias ſtricti iuris lata in murmuratorem, eo quod non tantũ quantum optabat, illi largiebatur. Huc adeſto chariſſime. *Nonnè ex denario conueniſti mecum?* Conueni, Domine. Num plura ex contractu mecum inito deſiderabas? Haud quaquam Domine: An hoc tibi dederunt? Vtique. Ergo *Tolle quod tuum eſt, & vade; amice non facio tibi iniuriam.* (Matt. 20. 14.) Aſcẽdit Prælatus, Doctorque cathedrã, te docturus: duo habet verba & opera, opera illius ſunt hæc eius opera imitari à Deo vel præmium metebitur, aut ſupplicium: *Tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.* (Pſ. 61. 13.) Verba tibi ſunt: hoc enim eius competit officio, eſſe Dei manum, quæ tibi ſacræ proponat libros ſcripturæ (doctrinam vtilem) apertos vt Ezechieli, ac D. Ioan. Euangeliſtæ. Num hoc agit Prædicator? Num te docet ſuperior? Ad cœlum dirigit? Tene inſtruit de modo te ad confeſſionem, ſacramque diſponendi communionem? *Tolle quod tuum eſt, & vade.*

Aſſerit Apoſtolus prædicatorem, ſine charitate peccatorem, eſſe velut æs ſonans: *Si charitatẽ non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* (1. Cor. 13. 1.) O prodigioſum ſymbolum! Ad quid cãpana? an vt tinniat? An vt ipſa intret miſſam auditura? Minimè gentium, ſed vt tibi indicet vocetque ad miſſam audiendam. An competens eſſet argumentum: Cymbalũ foris in aëre manet, nec templum ingreditur: ſacrum auditurum, ego igitur ea nolim facere, ad quæ me compellit? Inepta prorſus inductio: non enim cymbalũ ſibi ſed tibi tinnit. Si ipſum foris in aëre maneat, ſibi hoc eſt: tibi autem pulſatur, tibi hunc ſume ſonũ. Hoc innuit Chriſtus: *Omnia quacumque dixerint &c. ſecundum autem opera eorum, nolite facere: dicunt enim &c.* Hoc tibi concedo, Phariſæos eſſe peſſimos, tantumque abeſt. vt. quæ docent, faciant, vt nec minimo digito ſuo ea velint tangere: honoris enim ſunt auidiſſimi. Hoc illis remanet: tu ſume quod tuum eſt nimirum, illis obedire, illos reuereri, audire quæ præceperint ad animæ ſalutem, adimplere. Concludat hoc argumentum D. Chryſ. expendens illud Apoſtoli præceptum: *Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete illis.* (D. C. Ora. in Ep. Heb. 13.) Obiicit ſibi. *Quid ergo, quando fuerit malus, numquid obediemus?* Reſpondet ipſe: interrogatiuè: quomodo capis, malum eſſe ſuperiorem; vel malus eſt in fide, vel in moribus: *Si propter fidem quidem, fuge eum, & euita, non ſolum ſi ſit homo, ſed etiamſi Angelus deſcendens de cœlo.* Si malus tantum quoad vitæ integritatem: *Non vitam ſed verba attende.* Et hoc tibi, qui poterat, iniungit, dicens: *Super Cathedram Moyſi ſederunt, &c. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum autem opera eorum nolite facere.*

## §. 20. *Phylacteria ac fimbrias in propriam ordinabant gloriam, quæ ad Dei erant honorem inſtituta, ac virtutum inſtrumenta.*

A*Lligant enim onera grauia & importabilia, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Quàm graphicè malos depingit ſuperiores. Oneribus onerant grauiſſimis, & non tolerandis inferiores, aſpera præcipientes, & hæc ligant, ac religant, vt muliones, ſtrictiſſimis mandatis, pœnis & cenſuris. Sic eſt, vt ſæpius, qui ſunt nequitia priores, ſunt aliis ſtrictiores: iniungunt ieiunia, recollectiones, ne ad tales accedant ædes, ſint vigiliæ matutinæ, nocturnæque horæ inuiolabiles, ieiunia continua, oratio protracta, mortificationes aſperæ, ipſi verò digito ſuo nolunt ea mouere: O peruerſos inuerſoſque ſuperiores: at boni quique plurima faciunt, pauca præcipiunt: iuxta illud Spiritus S. conſilium datum ſuperioribus: *Noli citatus eſſe in lingua tua, & inutilis & remiſſus in operibus tuis.* (Eccl. 4. 34.) Non multum linguâ ludere, cito præcipiendo, & manibus otiari: *Dicunt & non faciunt, &c.* Quærunt ab vnoquoque vocari magiſtri: *Volunt ab hominibus vocari Rabbi*, & illos vt ſanctos colant, ac reuereantur. Ad hoc, *Dilatant philacteria ſua.* Membranas illas à capite dependentes extendunt, vſque ad oculos, quibus Dei legem ſcriptam conferebant. Et magnificant fimbrias. Dilatabant funes ſeu cingula coloris cœrulei, quæ veſtium fimbriis attexebant, O maleuolos cathedraticos.

Inſtituit Deus, proſequitur D. Th. vt ſacerdotes ac Doctores veſtibus vterentur particularibus, ac conſecratis, non enim vult miniſtros ſuos incedere vt ſcurras; primum ratione populi, vt eos reliqui venerarentur: quia primò: vt inquit D. Iaco. Apoſtolus, familiare eſt illos ſuſpicere. quos ſingulari-

gularibus & primæ notæ veſtibus cernimus adornatos. Secundò: reſpectu ſacerdotũ, qui dum ſe veſtibus conſiderant ſacris indutos, debere ſe moribus cæteris eſſe ſuperiores admoneantur. Hinc intelligo, quod ait Spiritus S. de Aarone
Eccl.43.8 ſummo ſacerdote: *Statuit illi teſtamentũ æternũ, & dedit illi ſacerdotiũ gentis.* Deinde ſubnectit, vt illi texantur veſtes propriæ, pretioſæ, pulchræ, tunica ex candidiſſimo lino, inſtar niuis, altera polymita; mitra perelegans, lamina aurea, cui Dei nomen inſculperetur, quam fronti imminentem geſtaret: vt quiſquis eã intueretur, in ſummo Pōtifice, Dei in illo perſonam conſideraret, & vt talẽ coleret; ad fimbriã autẽ veſtis appenſa gereret tintinnabula, quibus ad ſingulos paſſus ſonitum edentibus, quiſque eũ ſuſpiceret in eodẽ ac eſſet prout nunc eſt venerabile Sacramentũ, & campanula præeunte cuncti ad ſacerdotis tranſitum genua flectere moneantur. Tandẽ ſtatuit
Eccl.45.9 ei ornatũ magnificũ: *Induit eũ ſtolam gloriæ, & coronauit eum in vaſis virtutis.* Hæc verba *Vaſa virtutis* ſignificant inſtrumenta fortitudinis, arma virtutis q. d. dedit illi hæc veſtimenta, vt illi eſſent, velut arma fortiſſima, quibus obligaretur omni virtutũ genere præfulgere, vt eorũ ſingula cor eius excitarent mouerentque talis eſſe conaretur in anima, qualẽ ſe corpore referebat exterius, quia veſtes exteriores, ornatuſque illi fulgentior, virtutum cultui ſeruire debet interiori.

Tangit hic Spiritus S. id quod Dominus Moyſi præcepit quoad veſtes, cum ſummi Pontificis, tũ aliorum ſacerdotũ, quas omnes conſilio arteque ſtatuit fieri ſingulari. Datis Moyſi præceptis moralibus, ac iudicialibus, tranſit ad ceremonialia, diſponit ſtructurã arcæ, tabernaculi, altariũ, incenſorum, & holocauſtorum, ſacrificiorũ, menſæ panum propoſitionum, candelabri, aliorumque vtenſilium; nominatim autem agit de inſtitutione ſacerdotũ maiorum & minorẽ, de eorũ
Exod. 28.1. conſecratione, & vnctione, in particulari verò de eorum veſtibus, quibus ornarentur: *Applica ad te* (ait textus Hebraicus) *accedere fac ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs ſuis, facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.* Nũ ego, Domine, eas facturus? nequaquam: *Loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi &c. Facient veſtimenta fratri tuo Aaron & filijs eius.* Veſtibus particularibus induentur ſacerdotes, quæ illos Domino ſanctificent, hominibuſque reddant venerabiles: Ad illas autẽ componendas ſartores requiruntur & polymitarij ſapientes, prudentes, nõ humanã ſed diuinã ſapientiã pleni, qua illos ego repleuo: *Vt faciant veſtes Aarõ, in quibus, &c* in Hebræo ſcribitur: *Ad ſanctificandum eum:* Non efficienter (ait Lipoman.) ad hoc enim illa non valebant veſtimenta, ſed indicatiuè, hoc eſt, vt ornatu gloriaque exteriori, ſummi Pontificis interiorem deſignent, quã debet habere perfectionem. Quinam igitur ô Domine erunt hi miniſtri veſtiũ ſartores, quos requiris plenos ſapientiã & intelli- Exod. 31.2.
gentia? Reſpondet Dominus: *Ecce vocaui ex nomine Beſeleel, filium Viri, filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum ſpiritu Dei, ſapientia & intelligentia, & ſcientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro & argento. Dedique ei ſocium Ooliab filium Achiſamech, de tribu Dã, & in corde omnis viri eruditi poſui ſapientiã, vt faciãt cũcta, quæ præcepi &c. veſtes ſanctas &c.*

Tua mihi Domine gratia ſuccurrat: quid opus II. Veſtes ſignãt virtutes.
eſt tam ſapientes prudẽteſque quærere polymitarios cœleſti inſtructos ſcientia, qui veſtes tales conficiant, quibus ſacerdotes in terra veſtiantur? Officiales ſapientes, qui norint vnum alteri conferre, magnaque prudentia componere exteriora interioribus? Etenim concedimus exteriora eſſe ſymbolum interiorum. Aurum indicat charitatẽ, quæ virtutum eſt regina cæterarum: iaſpis viridis, ſpem, adamas pellucidus ſecurã firmamque fidem, coccineus color feruorem deuotionis, albus cordis puritatem, cœruleus cœleſtium cogitationes. Hæc omnia oportet in anima habeat ſacerdos interius, in hunc finem tales ei texuntur veſtes, quæ coloribus diuerſis intermixtis ornatũ ſignent interiorem. Ad hoc, attende, num ſartores ac polymitarij ſint ſapientes: *Ad excogitandum* ad conferendum quid vnũ alteri collatum conſertumque ſignificet, interius cõueniat exteriori. Hoc conſilio decreuit Deus (ſic Beda proſequitur) tam pulchras, variegatas, glorioſaſque veſtes parari ſacerdotibus, quibus illos moueat, tam pulchris, variegatis, glorioſiſque veſtibus animas adornarent, quibus ſe Dei oculis offerant gratiſſimos; ſicut exterior ornatus illos hominibus refert, oſtentatque glorioſos: inſuper ea de cauſa ſtatuit, illis alias eſſe pulchriores, nõ tã materia, quàm forma venuſtiores, ſecundùm gradum ſacerdotij: Summi vero Pontificis Aaronis veſtes, vt cæterorum eſſent fulgentiores veſtibus ſacerdotũ qui gradus eſſent inferioris: vt declaret, quod licet omnes deceat ſacerdotes, interioribus in anima veſtiri virtutibus, quibus toti populo emineant perfectiores; attamen quò fuerit ſacerdos dignitate prior: eò oporteat animam eius veſtibus ornari elegantioribus. His

addo

addo morem Eccleſiæ, quoad veſtimenta miniſtrorum, vt Diaconi excedant ſubdiaconi, ſacerdotis Diacoui, Epiſcopi ſacerdotis, Archiepiſcopi veſtimenta Epiſcopi &c. Hoc igitur ſignificat dum ait: *Veſtiuit eum in vaſis virtutis.* Quinimo hac motus ratione Innocentius Quartus Pontifex, pileo rubro decorauit Cardinales.

Huic intentioni ſeruiunt laticlauia faſceſque Conſulum, ſtipatores ſenatorum, tunica talaris ſacerdotum, mitra & pectorale Epiſcoporum.

*In c.12. l.2.Reg.* Notat noſter Cardinalis Caietanus in more fuiſſe Regibus, dum ad bella procederent, regalibus indui veſtimentis, nominatim autem capiti regium imponere diadema, ita videmus Saulem contra Phyliſthæos procedentem regio diademate coronatum; *2.Reg.12. 30.* ita legimus de Rege Ammonitarum dum Dauidis legatis iniurius rebellauit; quo his mouerentur inſignibus animo pugnare inuicto, ſe ipſos nequaquam ſubmittere inimicis, ſed corde regio, menteque intrepida hoſtes adoriri.

Ex his intelligitur quod S. pagina narrat de Iacob, quem mater Rebecca volẽs paternæ Iſaac benedictioni præparare recipiendæ & pariter iuri primogenituræ, quod de iure naturæ Eſau nouerat competere, cum pater grandæuus oculis caligaret, vt Iacob in locum Eſau ſubſtitueret & ſenem cœcumque falleret: *Gen. 27.15.* *Veſtibus Eſau valde bonis quas apud ſe habebat domi, induit eum.* Cũque eſſent odore fragrantiſſimæ, de illis ſic pronuntiat Iſaac: *Sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: ita vt odorem violarum, nardi, balſami, roſarumq; exhalare viderentur Opinatur Caiet. quem ſequitur Lipom. familiare fuiſſe illis temporibus, vt familiarum nobilium primogeniti veſtitu, cultuque vterentur inſigniori, quibus adſtringebantur tanta mentis auctoritate, morumque viuere grauitate, vt illos intuentes fratres ætate minores, omneſque domus famuli, debitam deferrent reuerentiam illis vtpote; qui futuri bonorum Domini, omnibus poſtmodum imperarent. D. Hieronym. *a* ex quo ſumpſit Rupert. *b* hanc communem fuiſſe dicit Hebræorum traditionem, antequam Deus Aaroni, eiuſque poſteris ſacerdotium alligaſſet primogenitos fuiſſe ſacerdotes, ita vt annecteretur primogenituræ ſacerdotium, & ſic verè ac realiter in familia Iſaac primogenitus erat ſacerdos, & vt quid indubitatum hoc ſupponit D. Thom. vnde cum titulo naturæ primogenitura deberetur Eſau, ei eodem iure competebat ſacerdotium; quocirca cum in eo ſuccedere deberet, ſicut veſtes gerebat pulcherrimas cõgruas primogenito, ita quoque veſtes habebat ſacerdoti conuenientes: *Hoc loco tradunt Hebræi* (ait D. Hieronym.) *primogenitos functos officio ſacerdotum, & habuiſſe veſtimentum ſacerdotale quo indutі victimas offerebat, antequam Aaron in ſacerdotem eligeretur.* Ratio ſuadet (teſte D. Gregor.) vt ſacerdotes, Prælato, Deique miniſtri veſtibus, ſuis aptis officijs, induantur pulchris, frangrantibus ac particularibus, quibus animæ virtutes deſignent interiores, quibus & accini poſſit quod Iacob primogeniti ac ſacerdoti fragrantiſſimis optimiſque ornato veſtibus Iſaac pater applaudebat: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Debet* (ait D. Gregor.) *virtutibus redolere: aliter namque olet flos vuæ: quia magna eſt virtus, & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium: aliter flos oliuæ; quia ſuaue eſt opus, quod more olei refouet, & lucet; aliter flos roſæ, quia mira eſt fragrantia, quæ rutilat, & redolet ex cruore martyrum: aliter flos lilij: quia candida vita carnis eſt de incorruptione virginitatis: aliter flos violæ; quia magna virtus humilium qui ex deſiderio vltima loca tenentes per humilitatem ſe à terra in altum non ſubleuant, & cœleſtis regni purpuram in mente ſeruant; aliter redolet ſpica, cum ad maturitatem producitur, quia bonorum perfectio, ad ſatietatem eorum, qui iuſtitiam eſuriunt, præparatur.* Vnico verbo ſit hæc concluſio, veſtibus his corporis particularibus ac pretioſis; ſtimulum dari volebat ſacerdotibus Deus, vt & tales in anima ſua veſtitus omni ſtudio procurarent.

*a L. de qq. Hebraicis*
*b In c. 27. Gē.*
*2.2.q. 2.*

Hæc igitur Dei fuit prima mens, dum ſacerdotibus ac Doctoribus veſtes præſcribit honorificas, fimbrijs circumcinctas. Illi porro proditores, eas gerentes nequaquam ex his anſam ſumpſerunt cœlum cogitandi, nec eſſe ſe in Dei miniſtros electos, cuius perſonam referebãt in terris, hiſque ſe admoneri ſanctitatis; ſed in futilis auctoritatis ſuperbiæ, ambitioniſque ſumebant eas incentiuum. Hoc enim modo quæ Dei ſunt, tractant homines, eius enim beneficijs Deo bellum mouent atrociſſimum, quibus inferre bellum vitijs, virtutumque acquirere oportuerat incrementum: Omnes inani ſuæ ſtudebant gloriæ, & ſe primos affectabant vocari præceptores: Non ſic, vos, non ſic: *Ne vocemini Magiſtri, vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.* Non prohibet Chriſtus in Eccleſia ſua gradus magiſterij, nec miniſtros ſuos illuſtri nomine compellari, ſed hoc ita ſit, intelligendo, quòd ipſi doctrinæ Euangelicæ auctores non habeantur, nec qui eam cordibus inculcent auditorum: hic enim Chriſtus eſt, qui ob hoc pleno ore, Magi-

ſter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſter vocatur: *Vnus eſt enim Magiſter veſter Chri-ſtus.* Vos autem, meos eligo repetitores, tubos ac canales per quos doctrinæ flumina, quæ ex me vt primo ac originali fonte ſcaturiunt, de-fluant: vos aquæ ductus, qui verba mea ad au-res hominum defertis: attamen ego ſum, qui ea viſceribus animæ firmius infigo, vires vt pe-netrent ad interiora cordium ſubminiſtro, in quibus ſolus ego efficaciter, ac intimè poſſum operari, ego qui hoc ago, vt in eis radicem ſeſeque gratia capiat cœleſtis, qua tandem, ea opitulante, ad gloriam tranſeant æuiternam. Amen.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ DECIMÆQVINTÆ SEQVENTIS.

AD quatuor puncta reducitur hoc Euangelium. Pri-mum: Argumentum à Chriſto diſcipulis ſuis pro-poſitum ſuæ paſſionis. Secundum: in quo Iacobus & Ioannes occaſionem ſumunt ex verbis Chriſti primas in regno eius ſedes requirendi. Tertium: quo eis Dominus reſpondet. Quartum: in quo decem re-liqui his duobus indignantur, quos omnes Chriſtus & ſedat & docet. Quoad primum declaratur, quàm congruè Chriſtus agens de morte ſua, ſpecialiter commemoret dolores à ſe perferendos, tam ob id quod in eis eſt conſiderandum, quàm quòd paſſione ſua noſtros illuminat oculos .*a*. ad rectè cœli via car- *a* §.1.2.3
pendam. *b*. à qua aberrabant Iacobus & Ioannes .*c*. & ad amoris, quo feruebat, vim 4.5.
declarandam. *d*. Pariter exponitur, cur illi, *Conſummabuntur omnia*, adiungat, *de filio ho-* *b* §.6.7.
*minis*. *e*. vſuſque ſit verbo impersonali *Tradetur*. *f*. ac qua ratione noui gratiam decla- *c* §.8.9.
ret teſtamenti, dicendo: *Tertia die reſurget*. *g*. Circa ſecundum oſtenditur, quomo- *d* §.10.11 12.13.
do in ſua matriſque petitione errauerint Apoſtoli, qua mediante eam Chriſto ob- *e* §.14.
tulerunt. *h*. In Tertio patet quàm prudenter illis Chriſtus reſponderit, reiiciens illo- *f* §.15.
rum petitionem vt ſuperbam ac minus ſapientem .*i*. ac talis cenſetur, qui ambit præ- *g* §.16.
laturas *k*. cui proprium eſt audacter reſpondere *Poſſumus*. *l*. Quartum nobis propo- *h* §.17.18
nit quàm bene Chriſtus dixerit non ad ſe ſpectare talia in regno ſuo loca conſigna- *i* §.19.
re nec rationem ceteri habuerint indignationis, ſed nec nos ſcandali, licet aliquos *k* §.20 21
in ſanctis defectus eſſe percipiamus. *m*. *l* §.22.
*m* §.23. 24.

§.1. *Vtiliſſima eſt de Chriſto conſideratio, vt myrrhæ faſciculo, quem ſponſa cœleſtis inter vbera collocat.*

§.2. *Eſt Chriſtus lapis cœlatus à Deo, à ſeuis lapidicidis exſculptus, in quem oculi defigendi.*

§.3. *Multiplices fuere corporis Chriſti pœnæ, quia multæ fuerunt corporis peccati culpæ.*

§.4. *Cur Chriſtus dixerit mortem ſuam multis profuturam, cum pro omnibus ſit mortuus.*